DE FEBRIBUS TRACTATUS THEORETICUS, ET PRACTICUS PRÆCIPUE,

Quo praxin curandarum Febrium continuarum Modernam esse lethiferam & barbaram, abunde patefit.

AUTHORE
GIDEONE HARVEY, M.D.

LONDINI,

Impensis *Gulielmi Thackeray*, Bibliopolæ in Vico anatino, vulgò Duck-Lane.

M DC LXXII.

Illustrissimo ac Nobilissimo Domino,

THOMÆ
Comiti de OSSORY,

ET

Baroni de MOREPARK,

Regiæ Majestati à Sanctioribus Consiliis,

Præfecto Navali strenuissimo, ac Militari prudentissimo.

Quale olim sapientes *majori fortunæ* esse existimarunt, ubi lumen magnum ac coruscum anni nuperrime nati *horoscopo* emicans creverunt; pariter hac tempestate climacterica omnes Amplitudinem vestram nostro *Ascendente* Britannico rutilantem aspexerunt,

orbeq; proprio per aquas moventem, martialem influxum in subjugandos hostes Belgas spargentem; hos autem zelo in Regem regnumq; singulari ac virtute plusquam heroica in sali barathrum præcipites dedisti. Ex altero, ex aspectu benigno est, quod regnum consiliis obfirmando, rei literariæ studiisq;, ac singulis summa affabilitate favendo, præclarus es. Huic confisus fui, hoc quale qualecunque opusculum vestro Augusto nomini inscribere ac dedicare; ignosce huic precor auso; faxit Deus, longe incolumis superstis ac trophæa ut soles regi offeras.

Excellentissime Domine

Amplitudinis vestræ

Cultor studiosissimus,

G. HARVEY.

LECTORI MEDICO.

JAmdudum *febribus continuis medicos non mederi, at eas ab ipsis funestas redditas esse, mihi innotuit. Si tamen fortuna quispiam, a febre liberatus fuerit, naturæ nervis solùm ascribendum, quæ vero si mediis minus appositis non fuisset lacessita, se multo ocyus & minore discrimine è morbo extricasset.*

Hujus tam inauspicatæ praxeos ratio fermentationis hypothesi falsa innititur, à qua indicationes spurias quum desumant, successus necessario ipsos spe est elusurus. Verum quidem fermentationis termino ipse in nonnullis tractibus sum usus, ac forte in elucidanda febre, at hoc fine quò receptæ temporum opinioni aliquomodo morem geram, nequaquam vero istius notionem *esse vel necessariam vel tantillum febrium notitiæ aut curationi conferentem, autumans. Porro Lector animadvertendus, tyronibus*

impræ-

impræsentiarum me non scripsisse, vel egisse professorem è cathedra methodice ac pedantice, febrium definitionem, divisionem, mox causas, dein signa diagnostica, hinc prognostica, & cætera præ-legentem; verum nostri est instituti, de iis succincte disserere, quæ medico practico maxime sunt necessaria, ac præcipue animo tunc temporis obversabantur, cum haud raro ducentos plus minus febricitantes sub cura habuerim.

Reliquas quod attinet notiones theoreticas, ulteriores que de variis febrium speciebus observationes, eas distinctis postmodum sum propositurus sectionibus; interim vale.

Ex Ædibus meis in area
Sancti *Dunstani* in
Fleet-street.

TRACTA-

TRACTATUS
DE
FEBRIBUS THEORETICUS
ET
PRACTICUS.

CAP. I.

De Calidi Innati Natura.

PArtium adaptandam dyscrasiis a potiori authoribus solitum decerpere Nomenclaturam symptomate; a fervore idcirco febris, vel a februis antiquorum per ignem sacrificiis, vel a verbo februo, depuro, veluti & ἀπὸ τῦ πυρὸς πύρετος huic affectioni videntur affixa. Itaque quid fervor, quid ignis denotent, e Caloris & Calidi liquido constabit collatione. Calore & Calido valemus & vitam agimus, fervore & igne deficimus, atque diem claudimus; differentiæ rationem harum vocularum prælibare, haud parum è re futurum duco. Calidum essentiam, substantiamve

calidam, Calor vero qualitatem duntaxat conceptu, non re, à subjecto vel natura calida separabilem innuunt, licet apud Hippocratem τὸ θερμὸν variis in locis cum voce θερμασίη convertatur. Neque existimandum, fervoris qualitatem in febre correptis, sed effluvia ignea, corpuscula vere Physica, tangentis manum ferire. Τοπῦς ignis, Hippocrati Calidum hominis innatum, latinis vero febris plerumque exponitur, indeque febris è Calido Corporis innato, cordis præcipuè (secundario tamen) ignis accensus, commode definiri potest. Cor itaque, suique principium constitutivum, partem ut plurimum læsam, ab affectione febrili, vitamque ipsius actionem propriam immediatè obrutam, è pulsu inordinato, viribus subito fractis, & actionibus integræ Æconomiæ insigniter simúlq; depravatis ac imminutis, palam est. Calidũ cordis substantiam verè ardentem circa ipsius thalamos, flammulas inde per arterias ad periferiam diffundentem, experientia eorum, qui capite detruncatis digitum, thorace confestim aperto, in cordis ventriculos immissum, summe calentem inde extraxere, suffragatur. Huic ex adverso si opponatur destructiva ardentis calidi ratio, nihil obest, sulphuris vinique spiritus flagrationem rimando, propter flammæ puritatem, quæ allambit corpora, non ustulantis, præsertim quum aëris gradatione ad cujusque caloris tonum modulamen queat institui.

Porro

Porro Cordis Calidum bitumen vere Æthereum vitaleque ſtatuimus, ab heterogenеis defœcatiſſimum, tenuiſſimas puriſſimáſque efflare quoquo-verſum flammulas, pabulum è particulis ſanguinis efflorеſcentibus alliciens. Verum quum plurium ſenſus vix in aſſenſum duci poſſit, Cruoris indolem tam tenue cum aëre commercium exercentem, nec non cordis arteriarumque cancellis reconditam, in flammam caloremque perennem abſcedere potis eſſe, ſolo hujus inſtantiæ filo attrahendus: Aquæ videlicet ferè omnes ſubterraneæ, & æſtuationis ſucceſſivæ participes, veluti Aquisgranenſes, Bathonienſes, cæteræque è ſecluſiſſimis quum ſcaturiant terræ gremiis thermæ, utique ad illarum ſane rationem ſanguinis vegetativi ſcaturigo indefeſſa, è cordis ſinu in arterias tanquam rivulos calidiſſime exilit; atq; caloris in illis quæ a Philoſophantibus de phyſi aſſeritur cauſa, & mihi ejuſdem in hac facilè obtrudi poteſt; nimirum Bitumen; non autem Sulphur, tanquam ab aquâ confeſtim extinguendũ, ut neque calx viva, ad cujus exortum vix tanta in terræ latebris exploratur æſtus procella.

In Bitumine itaque ſolo Calidum permanens & vix extinguendũ reperitur, utpote ab aqua in elatiorem flammam exaggerandum, ab oleo oleoſiſque nutriendum. In corde idcirco natura Vitalis Bituminis fontem poſuit exuperantem, a cujus flammæ durabilitate & purita-

te ipsa dependet vita. Neque tamen asserendum, tantam illius è corde dimanare copiam, ut & ipsius et totius œconomiæ in tot protrahendæ annos vitæ sufficere queat, quin indies è præterfluo bituminosum allambat nutrimentum sanguine, quodque in vitales accensum auras, pulsu mediante in reliquos distribuatur corporis canaliculos. Notandum porro, aliquam continere bituminis proportionem ingesta ferè omnia, chilum et sanguinem ; ac quantum redundet hujus in illis, in tantum cordi ejusque facultati vitali inservire potest. Impræsentiarum quid, qualeve sit Bitumen, est explicandum ; Corpus nimirum, ex oleo sulphureo & Colophonia, in substantiam crassam liquabilem & inflammabilem, coalescens. Tale autem analyticis partibus cruoris animalis destillatione dignoscitur ; oleum scilicet phlegmati innatans,& colophonia cũ salis fixi portione cucurbitæ in fundo subsidens, simulac sal volatile cum oleo alembicũ transiens, innotescunt, quod postremum sal videlicet volatile toti commixto energiam omneque robur superaddit, ad instar pyrii pulveris, cujus nitro-salsæ in volatiles ignis virtute actæ particulæ, vim adsciscunt tantam, ut summa quodcunque alteratione objectum, ac velocissimo percutiant ictu,sulphur interea carbonumque pulvis quum soporosæ modò materiæ vicem suppleant. Ex hoc præscripto pulsuum ratio commodè e-

rui

rui potest, Cordis Bitumen modò concipiendo in vitæ periodum flagrans, è cavâ ascendente in sinistrum exantlatum ventriculum, cruorem in flammam efferre, mediante qua, subito in volatilissimas & vibrantes exufflatum sal nitro-salsum particulas, fulguris instar, sive ad rationem è sclopeto displosi nitrosulphuris, in magnam cæteraque vi quasi elastica arterias propellitur.

CAP. II.

De pulsuum differentiis earumque causis.

MArinas inter ægides minus arduum varietatem ac differentiam depingere foret, quam inter cordis arteriarumque pulsationes, quæ omni passioni, flatui, ac morbo alterandæ subsunt, Galenus quamvis tanquam è tripode eas enumeraverit, quarum tamen tertia vix differentia aranei tactu dignosceretur; idcirco quas in febribus cuivis fere deprehendere licuerit, in sermonem trahemus.

In pulsu Robur primo sive vim, dein motus velocitatem, tertio æqualitatem attendere soleo; a robore fortis vel Debilis denominatur pulsus; huic annumerantur Magnus, (plenus scilicet & fortis) & Parvus, nempe Vacuus, f

mul ac Debilis. Pulsationis roboris statuo causam salis volatilis copiam, sanguinis pulsu vibranter & valide dissolsam, nec non cordis staminum cerebroso humido probe nutritorum firmitatem; ex adverso, salis inopia villorumque exhaustus pulsum edunt imbecillem. Hic quod in febricitantibus quibusdam pulsus multo exploratur fortior, quam in statu sano, observatu dignum; quinimo in summe effractis viribus ultra diem mortem vix repulsuris, pulsum digitorum apices valide allidentem recordor, qui tamen idcirco non fortis, sed violentus meo conceptu pulsus dicendus foret; a sale etenim erodente quodam & reverberato, in violentas facultas vitalis irritata adigitur pulsationes, unde tandem collapsa subito in minimum & pulsum concitatissimum; mox asphyxia excipitur. Facili autem dignoscitur ingenio Violentus à pulsu forti, hic plenus, ille vacuus digitos appellit. Secundo, non raro debilem in febre correptis offendi pulsum, ut in bidiem vix sufflaminari videretur, qui per quatuordecim tamen vel viginti dies cum morbo prospere luctatus fuerit. E cruore crasso & humido oriundus est hic pulsus, qui rarefactione continuata & reiterata circulatione ad coctiorem provectus, facultatem vitalem reddit redivivam, cum interea temporis salis volatilis haud multum debilibus istis pulsationibus dissipati amiserit; plu-

ries

ries hunc casum in fœminis febre ægris deprehendi, caute quare ab Hippocrate pronunciatum, *Aphor.* 19. *lib.* 2. Τῶν ὀξέων νουσημάτων, ἢ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προδιαγνώσιες ἔστε τῦ θανάτυ, ἔστε τῆς ὑγιείης. Hallucinationem quo hic evitemus, distinguendum; pulsus vere imbecillis est vacuus & parvus, atque ut plurimum motu & debilitate inæqualis, neque ab illo gradu a primis initiis multum deflectens.

Sub pulsationis motu pulsum prendo tardum vel velocem, itemque crebrum vel rarum. Tardus è pulsu lente ad diastolen a systole movente, & vice versa dignoscitur; velox vero è passu celeri a systole ad diastolen, & reciproce. Creber mihi statuitur, qui frequentibus ictibus vel recessibus digitum animadvertit; rarus è contra. Pulsum hic notandum tardum meo sensu simul & crebrum deprehendi vix posse, quum necessario frequenter non recurrat pulsus tardus, quoniam tardus; at communi dogmate creber & tardus simul incidere possunt, quia quietis sive intervalli ratione inter systolen & diastolen creber dicitur, qui parvo interjecto temporis spatio recurrit; atqui pulsus quidem tardè a systole ad diastolen mobilis est, ita ut parvũ interjaceat intervallum, priusquam a diastole ad sustolen revertatur, indeque creber dicatur. Rem altius verum perpendendo, prout communiter pulsus describitur creber, vix editur, ut neque rarus, quia nulla inter pul-

ſationes interjicitur quies: nam quod pulſus quaſi reciproca ſit intumeſcentia ac detumeſcentia concipiendo, æſtus ad inſtar marini, infertur reflexionis ſolummodo punctum, quam primum nempe intumuit, ſequenti momento detumeſcit, ac quam primum detumuit, proximo temporis puncto retumeſcit. Intumeſcentiam hanc porro a corde impulſus comitatur ipſius, conſtrictu mediante fibrarum, quo fluctuum inſtar præter intumeſcentiam per corporis meatus ex arteriis in venas propellitur ſanguis. Itaque ne citra neceſſitatem me notionum onere in praxi gravem, vix aliud in pulſuum motu animadvertere ſoleo, præter velocitatem & tarditatem; neque multum moror, an pulſus ſit durus vel calidus, vel pungens, cum ad qualitates mutatas, non pulſum, hæc ſpectent. Tertio obſervandum, quibus naturaliter pulſus plenus eſt velocior, iis multo debilior eſt vitalis facultas, quare fœminis & pueris velociter (plene tamen) pulſantur arteriæ. Quarto in febribus malignis non raro tarde moventur arteriæ, ut caloris putridi judicentur expertes, quod tamen non accidit, niſi ſecundo inde vel tertio die ſubſequatur obitus.

Pulſationis celeritas naturalis (non morboſa) ſalis volatilis partim copiæ, minus autem denſi compactique debetur, quippe in particulas volatiliores abſcedens, quam primum cordis ventriculos appellat, & mox propter copiam

ab

ab aliis ſubſequatur ſalis partibus, hincq; novus pulſus celeri paſſu adeſt; partim bitumini leviter inflammabili, quod ocyſſimè accendit & accenditur, unde pulſus frequentia. Quæſtiuncula hic obiter agitari poſſet, an pulſu in febribus celeriore plus cor trajiciatur cruoris, quam in ſtatu ſano tardiore? Primo ut ſit de pacto oportet, utrum quavis dilatatione repleatur cor ſucco cruento, & ſingulis conſtrictionibus exhauriatur; quidam affirmativam tuentur, quæ mihi tamen minime conſtat, quibus etenim pulſus uno tempore pulſatur plenus, altero vacuus, arguitur neceſſario, iis tantiſper uberiore, tantiſper parciore cordis labra intumeſcere chymo, atque è ſequela palam fit, reciprocè diverſis pulſibus variam expelli fluoris proportionem. Secundo, advertere quum liceat, cordis diaſtolen largiorem aliquando inſequenti excipi momento ſyſtole debili brevique, uti ex carpi alteriuſve partis arteriarum patet diaſtole tumida, inſequente ſæpius ſyſtole brevi & debili, inde plus in cordis recipi receptaculum, atque pauciùs expelli aſſumitur, adeo ut non raro tribus quatuorve ſyſtolis proportio unica admiſſa diaſtole expellatur. Quæſtioni ut reſpondeatur, aſſerimus, in febribus malignis neutiquam tam rapide fieri ſanguinis circulationem ac in ſtatu ſano, quia cordis languet facultas pulſifica, neque tanto fit impetu arteriarum cordiſve ſyſtole; in putridis

ridis vero, quum violentæ sint systole atque diastole, paulo velocius cor sanguinem transfundi quam in statu sano. Hic obiter observandum, pulsus si velox in tardiorem pridie facessere percipiatur, postridie in velociorem tendere, de malignitate est suspicandum.

Tertium notatu dignum est pulsus æqualitas vel inæqualitas, respectu & motus & roboris; Itaque horum ratione æqualis inæqualisve in motu, velocitate scilicet & celeritate, ac robore, fortitudine nempe & debilitate, dicitur. Ab authoribus æqualitatem etiam ad crebrum & rarum referri solitam pulsum, itemque ad tonum rithmúmque musicum, tanquam medico practico confusionem potius subministrare aptam hic prætermittimus. Ad inæqualem in motu annumerantur dicrotus, Caprizans, intercidens, aliique quidam.

Cordis facultas pulsifica fortis ac non depravata, perinde ac temperata cruoris mixtura, a particulis heterogeneis probe depurata, in æquali cooperantur pulsatione; ex adverso, chymus inæqualiter bitumine vitali saliumq; specie diversa cum sit commistus, inæqualem edit pulsum, quam motus tam roboris respectu. Cæteras vero passionum vi, aliarumque procatarcticarum efficientium concitatas alio delegamus differentias.

CAP.

CAP. III.

De generatim in urinis obſervandis.

Pulſui certiore præſagio quum cedat urina, hujus ſermonem priori ſubjicere duximus. Ouroſcoporum abuſu, medicorumq; quorundã imprudentia mira prædicantium in contumeliã apud quoſdam collapſa eſt uromantia, nihilominus amplum cum præbeat morborum diagnoſeos & prognoſeos indicium ab arte medica non eſt diripienda. Primo quid ſit urina, deinde quænam in illa ſint obſervanda, expediemus. Mihi urina liquamen videtur ſalium volatilium fixorumq;, nec non excrementitiæ pituitæ, ſanguinis ſero ſolutæ, quod contentis præfatis ubertim ſaturatum, pondere deorſum petens, ad renes amandatur, inde quaſi per deſcenſum deſtilletur, guttatim permeat veſicam verſus. Quo autem magis perſpecta habeatur urinæ natura e ſanguinis ſyntheſi quædam huc petenda; ſalia iſta volatilia principalem chymi concoquendi efficientem concipio, coccineam tincturam, dulcorem, homogeneitatem, & fluorem ei accumulantẽ, quo alendarũ partiũ poros appellens chymus apparatu, ſalia deſerit, cum ſuperfluo ſanguine venas lymphaticoſque ductus ſeſe deinceps in emulgentes depromentes, redeptura. Salia iſta non ſanguinem ſolum, ſed & uriam tinctura quod perluſtrent, ex autopſia palam

lam fiet. Salis armoniaci ſpiritus vix ab urinæ ſpiritu diſcrepantis, vel cornu cervi, vel fuliginis ſpiritus, guttam unam vel alteram in urinam ſubalbam, turbidam minuſque digeſtam ſtillatã, mox in aureã citrinamve optimum que conſiſtentiæ modũ, percoquentẽ comperies; at è ſale fixo acidum pulſum ſpiritum ſi affundas, ad turbidiorem, crudiorem, ac majus pondus vergere ſpectabis. Haud impari pacto, guttulas nonnullas præcitatorum liquorum volatilium in cruoris modicum præcipites ſi dederis, quamvis pituitoſi crudique, calidum floridumque cuſtodiueris; ab inſtillatione autem olei vitrioli in coagulatum mox cedit, ſerũ deorſum deprimitur, & purpureo-rubrum induit. Nitri ſpiritus ruborem in ſubalbum cineritiumve pervertit, at ſerum non præcipitat, ſuperius innatare ſinens. Rem citerius inſequendo, cujusdam certæ tincturæ unicam guttam in ſanguinis proportionem largiorem coagulati fere profudi, qua momento quaſi coagulativarum particularum ligamen diſſolutum, refplendenteque jubare donata fuit, ſanguine coctiſſimo minime inferiore. Neque ab externo uſu tam mirabilis deprædicanda eſt, quin interno brevi, prout pluries comprobavi, aſthmaticorum, ſcorbuticorum, hydropicorum, pejorumque habituum chymum crudum optime digeſſerit. Coctionis vigorem inter tenue & craſſum in urinis ratio media denotat, præcipuè ſali volatili

in vitali bitumine vegenti, aſcribendum. Urinæ tenuitatis in febre ægrotis ſalium volatilis & fixi pauperies, a torrente per vaſa magna fluctuante non diremtorum, pariterq; ſanguinis mucilaginis a calore exiccatio, vel per poros diſſipatio in cauſa ſunt. Urinæ craſſities a nimia ſalium craſſique mucoris copia ſaturato fit ſero. De Hypoſtaſeos urinæ materia hactenus vix quicquam ab authoribus certi ſtatutum eſt, è ſuperfluo tertiæ coctionis humore oriundam tamen plerique cenſent. Mihi autem ſedimentum mucilaginem eſſe apparet, partim a ſero intra vaſa imbibitam, & partim ab ureterum ac veſicæ internæ tunicæ mucore deterſam, illo perlitorum, ne ab urinæ præterfluæ acrimoniâ lædatur ipſorum ſenſus exquiſitus. Hæc vero ſi matulam examinaveris, glutinoſus craſſus & lubricus deprehendetur mucus; porro quod ſit ſolubilis calore, & coagulabilis frigore, pituitæ ad inſtar, advertere licebit in urinis turbidis, quæ dum nuper poſt excretionem calidæ remanent, claræ ſunt ac perſpicuæ, at paulo poſt frigeſcentes in turbidas & opacas vertuntur, iſtorum calidorum volatilium ſalium particularum mucum ſolventium energia orbas; nam ſi vel ad momentum ad ignis calorem matulam moveris, Vel in tepida detinueris aqua, priorem reſument claritatis ſpeciem. Bullas non raro ſuperficiei innatantes non flatuoſæ ſed lixivioſæ urinæ conſtitutioni referendas ſtatuo, cum

cineres,

cineres, ſmegma, aliaque lixivioſa aquâ ſoluta, eam leviſſima agitatione in ſpumam & bullas faceſſere cogunt.

Color, Conſiſtentia, & Contenta ſunt generalia præcipua, è quibus medico, quæ corpore latent præternaturalia, extricare licebit. Color ſalium qualitates activas, Conſiſtentia ſeri ſtatum, & Contenta ſalium prædictorum aliorumque excrementorum munere defunctorum quantitatem detegunt; horum omnium ulterior explicatio ad febrium ſpecies ſpectans particularis reſervabitur in libri ſequelam. Sub fine notandum, enæorema, & hypoſtaſin contenta includere.

CAP. IV.

De Febris eſſentia vera & ſpuria.

PRimo febris definitioni alluſimus capite, quæ ad illius ſpectant evolutionē, huc partim prorogavimus. Quod febris ignis indolis ſit proſapia, è deſtruente agendi modo, caumate incitatiſſimo, lingua oriſque fornice nigra fuligine incruſtatis, pariter ex aliis inde promanantibus ſymptomatis, veluti ſiti, cutis ſiccitate & aſpredine, partiumque plurium phlogoſi, affatim ſuggeritur. Hic vero lectori aſſumendum, Cordis totiuſque corporis in ignem ſuccenſum

censum vitale bitumen esse morbum, sive febrim; vel potius cordis, totiusque aut partis corporis dyscrasiam igneam esse morbum, non autem præternaturalem calorem, quum symptoma à morbo immediate profluens sit autumandum, non discrepante ab illâ ratione, qua ab igne emanat calor. Idcirco apud authores academicos, utpote Fernelium, Sennertum, aliosque, quæ prostat febris definitio, merito repudianda; videlicet, *febris est calor contra naturam in corde accensus*, & ex eo mediantibus spiritibus ac *sanguine per arterias & venas, in totum corpus diffusus, actionesque naturales lædens.*

Hanc definitionem his positionibus impugnatam depromo; primo assero, quod calore universali febris essentia nullo pacto recludatur; neque secundo, quod quo stipata sit febris, non prorsus calor ille è scintillis corde emicantibus assurgat. Prius quod ratum faciat, è febris genere petitum est argumentum, quod morbus statuitur; atqui morbus immediata prædicatur partis læsa constitutio, quod dicendi genus Calori præternaturali neutiquam convenit, utpote vel fixo partis bitumine flagrante, vel non raro miasmatis a foco ignis receptaculo ad omnes vel plures corporis partes exufflatis, innitenti, quæ autem miasmata torrida non pro morbo sed causis, temporis processu morbum partibus concitare fervore valentibus, exhibenda. A

pro-

probabili hic objectio duci posset, quod accensio sive fervor singularum vel plurium partium spirituum influentium sit febris, quæ horum æstui immediate noxam debent, unde febris calor jure censeri potest. Huic replicandum, partis corporis prædicationem spiritibus minime competere, quum continuo fluant, neque ullo modo permaneant, atque partium animationi et nutritioni assignentur, hincque eorum dyscrasiam, pro morbo non venditandam esse; si tamen è spirituum influentium tumultu partium fluat temperamenti perversio, qua minus munera obire queant, nihilominus quia mediata est affectio, atque ab illorum flagratione deducenda, non pro morbo sed causa assumenda est. Secundo, singularum corporis partium putridum calorem esse febrim, nimirum continuam putridam, ex omnium ore instare si libeat, pariter è cruore solo tanquam prognatum, partibusque sanguineis hujus vehiculo allatum, resumens, non morbum inferendum fas esse respondeo, (quum & sanguis, quia materia est fluens, partis significationem non mereatur) sed morbi causam, vel hujus vehiculum. Tertio, ossa, cartilagines, et ligamenta caloris sensum effugiunt, neque putridi caloris susceptui sunt apta, quia raro vel nunquam febre vigente putredine vel carie correpta deprehenduntur qua ratione ergo omnium partium præternaturalis calor febris denominari potest? Itemque

que quarto, calori febrili qua de re magis febris nomen, quam rigori vel febrili frigori paroxysmi initio febricitationis assignandum est, & priore & posteriore veluti symptomatis a febre profluentibus? Quinto, calor falso febri ascribitur universalis, etenim in febre lipyria calor torridus partes torquet internas, externæ dum frigent; quinimo non raro accidit, manus & pedes ut rigeant frigore, & centrales æstu quasi candeant partes. Porro est observare, febrim partem solam veluti pedem vel manum infestare nonnunquam. Neque plane cujusdam febris sum immemor, cujus calor capite & facie circumscribebatur: huic subjunge, quod non à caloris tantum præternaturalis, sed prægressi frigoris, rigoris, & lassitudinis ulcerosæ febres illæ inferuntur particulares argumento. 6. Fermentationis doctrina qui turgent, non usquequaque calorem præternaturalem constituere febrim perhibent, quandoquidem ab influentium spirituum acervo officientia abigere enitente corpuscula, ortum ducit præhabitus calor, qui secundum naturam, quam præternaturalis potius censendus foret.

E secunda sustinemus thesi, non ubivis calorem febris asseclam in corde tanquam foco primario succendi, cujus assertio rata fit è symptomaticarum febrium specie; nam quæ sauciatum corripit febris, vel visceris uti splenis, hepatis, aut renis phlegmone detentum,

utique non in corde, ſed in parte affecta primò accenditur, unde per univerſum difflatur ſyntagma. Secundo, caloris febrilis ſi unicus coforet torris, qui ipſius clatrum trajicitur ſanguis, empyreumatis notam ſaltem ac tinctus immutationem ſubiret, quum è contra è mille febrientium phlebotomia ductibus extractus, pure coccineus, floriduſque oculis obvertitur, ad quartum, & non raro ad ſextum & octavum diem uſque.

Proximo paragrapho vulgaris ſententiæ tentamine, de putridarum continuarum communi ſede mihi animum explere duxi, cruorem in vaſis frementem, & putredine inquinatum inuentis, quantam tamen hallucinationem patiatur plebs iſta medicorum, hiſce proponendis exhaurire licebit. 1. Si febris continuæ, germen ſanguini inoculatum eſſet, non tam impetuoſe curam reſpueret, quin è fluidis mobilibuſque coaleſcens elementis, alterantium, purgantium, vaſorum per venam ſcalpello hiulcam depletionis, Diaphoreticorumque virtute, brevi ad priſtinam puritatem & craſin foret redux; porro ſæpenumero noctis unicæ effervescentia, officientia in ſanguine fluctuantia corpuſcula tenuiora, in auras abigit natura, craſſiora autem in puſtulas, phymata, ac alios ejuſmodi tumores eliminat. 2. Vix aſſentior, quod motu ac fluitatione perenni agitatur, veluti ſanguis, quod facile putredine

tredine corripiatur, utpote ſpiritibus prægnans vitalibus, calidoque vigente, in motum continuum præceps datur. 3. Ad tertium, quartum, ſextum, octavum, vel decimum ab ineunte febre diem, ſecundum febrilis acuminis rationem, purus ac floridus (prout in centenis notavi) prima phlebotomia effunditur, è quo palam ſit, putredinis materiam primariam, & ſedem in ſanguine falſo reponi, quamvis deinceps viſcera tranfretans maligna qualitate inuratur, inde ferventibus miaſmatis & ſalibus onuſtus. 4. Pituita pura ſive gelatina venoſa, galbinæ, praſinæ, & glaucæ lymphæ ſerive copia immodica diluta, binas tertias cruoris, hydrope, chloroſi, aliuſve morbi ſpecie excruciatorum in venis, ſibi quum vendicet, qua de cauſa ſanguis ille humido & ***heterogeneitate*** in tantum a temperie exul, (humido emicante & particularum pluralitate putredinem parientibus) in febrilem æſtum ubivis non provehitur? & è contra cujus ergo craſes bile exuperante ſiccæ & calidæ febres putridas continuo appetunt, quum tamen ſiccitas putredini tantopere adverſetur? ſummatim prout præmiſſis aſſerui, ſanguis corporis partibus nullo jure dum ſit annumerandus, ſedis, loci, aut partis affectæ rationem aſſumere prorſus renuit. Animo ſi forſitan hæreas, quod è receptæ præceptionis tramite hucuſque Exorbitem, Cor, aliudve viſcus pro ſede

in febribus ſancientis; ex ipſis fontibus quid de re ſtatuendum, haurire tibi integrum eſto *Avicen. fen. 1. lib. 4. tract. 2. cap. 43.* ſic dictat; *Dicamus quod febris ſanguinis eſt febris putredinis, & febris calefactionis & ebullitionis.* Hic eſt animadvertere, quod ſanguis inferatur ſubjectum, materia, & ſedes febris putridæ. Item *Galen lib. 2. de Criſ. cap. 12. Manentibus igitur in venis humoribus continuæ, ex ipſis febres generantur.* Ætius item *tetrab. 2. Serm. 1. cap. 74. Putreſcentes igitur humores, aut intra vaſa arctati, continuas & nunquam intermittentes uſque ad perfectam morbi ſolutionem febres efficiunt.* Hic obiter obſervandum, quamvis ſecundum *Galenum* in venis febres hoſpitentur, etiam earum nomine arterias depingi, ſicuti *lib. 1. de Criſib. cap. 7.* ab ipſo fuſius exprimitur; *Febres omnes ſunt paſſiones venarum; Itaque in venis omnibus, quoniam venoſi generis ſunt, nam arterias in hoc genere comprehendimus, ad urinas præcipuè attendere oportet.*

Ex adverſo, intermittentium ſedem extra vaſa, in circave viſcera, deſtinarunt, prout paſſim è *Galeni* & *Avicennæ* ſcriptis conſtat. Fundamentum tamen harum ſedium differentium vix aſſequi valeo, idcirco hæſitationi ſatisfactum iri peto, utrum continuæ febres in venis germinare tradantur, quia Phlebotomia exiliens ſanguis, calore feriat tactum, ſpeciemque

que intensè rubram præbeat, cyaneo, lacteo, vel flavo perfusus sero? Hic autem cruor nullus ab illo in interpolata febre aliove morbo è venis prolecto discrepat. An vero sedium differentia exponitur talis, quia intra vasa sanguis cum corde immediate commercium exercens, potenter valeat æstum fovere, quum viscera à corde longius dissita, per vices ei halitus putridos febrilesque profundant, & sub ista specie intermittentem calorem depromant? minimè gentium. Quinetiam viscera vasis quum sint annexa, situm non minus possident accommodum, quo mediis hisce canaliculis ad cor rectà ducentibus, calorem febrilem foveant, quam si causa intra vasa prædicta fuisset parta: An vero, quod vasa sola capacitate justa sint prædita, qua tantam materiæ febrilis mensuram recipere queant febri continuò alendæ sine interjectione idoneam, viscera dum ponantur arcta, nec cavo instructa, quo materiæ satis recondant.

Ex oppositio, viscera juxta rei requisitum ingurgitare uberiorem deberent materiam, quæ intermittentibus febribus ad menses & annos (quod non raro fit) protrahendis sufficere queat, continuis autem vix ultra decimum quartum diem fovendis, multo parcior requiritur quantitas. Sed quo difficultatis nodum attingamus, non tam quantitati, quam materiæ febrilis qualitati debetur continuationis, inter-

missionis, remissionis & intentionis ratio, sicuti alibi fusius tradetur. Præcitata definitione cor inepte statuitur primariò affecta pars, nam inde foret sequela, febrium auctiorem numerum futurum funestum, eò quod ipsius crascos compages semel expansa non facilè restituatur 2. hepatis aliusve visceris supponę inflammationem, febris satellitio stipatam, cor an hepar putas partem primario affectam?

CAP. V.

De fermentationis affaniis.

SIngulorum ægrorum in aures, quisque ferè barbæ tonsor, & seplasiarius, fermentationis canticum ogganire norunt, tonumque ejus cuivis accommodare morbo, febri è præcipuis, hujus expositionem illustrantes commento, quod sanguis fermentat, humoresque sunt in fermentatione, nec non cordis, jecoris, splenis, stomachi, & fortean alvus si non fuerit apta, etiam ani fermentum est depravatum, quinimo si pedis clavus modo doleat, fermentum ejus à crasi degener est in causa. Summatim vocem *fermentum* cuivis morbo, causæ & symptomati adaptantes, rem egregie demonstratam arbitrantur; indeque patienti annunciantes, morbum se fermento corrigendo abacturos, probè quasi opere peracto, illum spe

turgen-

turgentem, ad ſuos dimittunt. De Philoſophia hac abſtruſa à certis theorematis muſtarii torcularii, chymicarumque notionum mutuata, *Anthonius Guntherus*, *Theobaldus Hoghelandius*, *Felicianus Betera*, *Conringius*, *Martin Kirger*, aliique è profeſſo egerunt, quorum ſpecimina ſi pervolveris, *fermentationem* vocabulum variis inſervire ſignificationibus comperies. Alter ſenſu latiore peripateticæ mixtioni minimè diſſonantem, tradit ejus deſcriptionem, excepto, quod hæc qualitatibus, iſta actione & reactione penſum perficiat; ſed preſſiore ſignificatu ad fluida ſpectans fermentatio, ſtatuitur efferveſcentia liquoris cujuſcunque ad coctionem tendens: impræſentiarum examini ſubjiciamus, an febris ſit fermentatio vel efferveſcentia ſanguinis.

Ad hujus enodationem è prioris capitis præfatis reſumendum, febri, cum ſit morbus corporis, partem neceſſario ſubſtare, tanquam ſubjectum vel fundamentum; atqui ſanguis partis munere fungi non poteſt; utique ipſi non competent, neque febris, neque fermentatio; ſecundo, neque ſanguis fermenteſcens febris continentem agere cauſam veriſimiliter concipi poteſt, eò quod ejus mixtura fluida paucis diebus abſorbetur, dum febris in hebdomades protendatur. Suppone Subjectum febricitans vaſis 24 libris cruoris plenis inſtru-

ctum, cujus libræ quarta ſingulis diebus abſorbetur abſtinentiæ ratione, & per poros in auras difflatur, & nonnullis diebus libra integra, vel ad minus tres quartæ ſunt depletæ, phlebotomia nimirum, Gallis etenim prima & ſecunda Sectione ſanguinem ad libram integram, & quavis ſuccedente deinceps Sectione, (quæ plerumque alternis inſtituitur diebus) ad duo vaſcula, ſive uncias ſex, ducere perfamiliare eſt. Hoc computo univerſa maſſa binis ſeptimanis vel brevius exantlata foret, & de ſequela inhibita fermentatio, febriſque abacta. At è contra, ſi vel quadrageſies ſanguinem haurires, prout in Francia ſæpius decernere mihi contigit, ne ad medium gradum caloris faſtigium remiſſum erit, ſed acuminatum potius, ecquis igitur ſanguinem fermento frementem febris cauſam ſuſtineret? Verum enimvero experimentum hoc minime fallax notatur; tertiam ſi demas cujuſcunque liquoris, ſive Vini, Cereviſiæ, ulliuſve commixti fermentatione turbati, quam primum quieti addicetur; atqui haud raro ſanguinem ad mediam, quinetiam ultimam quartam dimetiuntur, ſine ulla fermentationis (ſi ita loqui fas eſt) demulcimine. Caſu mihi reponis, quod prout vaſa phlebotomia, ſudando, aliiſque tormentis deplentur, indies ingerendo ſive potum ſive cibum, returgent; ex oppoſito, diæta tenuis febricitantibus imperatur continuò, neque

univerſo

universo febris cursu plurimi tantum stomacho concedunt, ex quo facultas sanguifica cruoris libram conficere polleat, adde quod eorum appetitus sæpius ad quatuordecim vel viginti dies plane sit prostratus. At quod ingerant quantum consumptioni par sit replica; retorqueo, sanguis ille indies recenter appellens, vel probus, vel coinquinatus exoritur; si prior, diluet remittetque massam fermentescentem, quod tamen neutiquam fit; si posterior, non ambigendum, quin maculam à concoquentibus depurantibusque visceribus assuxerit, & è sequela, primaria principalisque viscera, non autem sanguini addicenda causa. 3. Liquori cuipiam mixto, mollibusq; compositis, veluti panificiis, electuariis, aliisq; accidere, suffragatur experientia, fermentationem, quæ in illis sulphurearum & volatili-salsarum particularum blanda decernitur operatio, exerto calore temperato, attenuante, expandente, & dissolvente totum essentiale, ac ab homogeneis fuliginoso-salsas partes secernente, has in acri-salsam sublimando spumam; tartareas salsasque particulas in mucidum pituitosumque limum præcipitando. Hæc quum significativa despiciatur intentio vocem fermentationem rebus fermentandis imponentium, insulsa sane ineptaque assertio videtur, quod, dum sanguis fremit, ebullit, pitissat, & tangentis manum adurit, ori linguæque nigram acrem-

acremque fuliginem ignis ſobolem inducit, omnia iſta à fermentatione, blandove ſanguinis fervore dependeant. An non ubivis ad coctionem tendit fermentatio, ſæpius ad corruptionem & mortem febris; atqui una eademque vox duo quod deſignet contraria, annon abſurdum? omnia vero, alterationem, mixtionem, generationem, corruptionem, calefactionem, & quid non, voce fermentatione (vocabulum mehercule prægnans!) perſtringere, medicam indagationem eſt limitibus cohibere; nec arti iatricæ minus ab iis detrahitur, qui hydropi, aſthmati, pleuritidi, totique morborum claſſi cauſam aſtipulantur fermentum vitiatum, à quo corrigendo totius curationis pendere cardinem, prædicant quæque fere anus & chirurgo-tonſor, annon tali catervæ cum fermentitiis medicis de palma concertare imo eam ipſis præripere licebit? quam ſpecioſe & argute a quocunque apud noſtrates ſeplaſiario, jam hoc modo de morbo ejuſque cauſa & cura ſtatuitur; quo res tandem rediit? quid ſtudio Philoſophico, Anatomico, Botanico, Phyſiologico, Pathologico, milleque aliis incumbere neceſſe eſt? O lepida capita! obiter tamen mirabere, ſi à doctrina provectioribus tanquam phænomenon vel hypotheſis (nam de re nondum conſtat) hicce fermentationis conceptus aſſumatur, quo cauſis dilucidandis, eruendis indicationibus, & curandi methodo auſpi-

auſpicatiores emergant; at nullus ambigo, quin charontis cymbæ numeroſioris ægrorum cohortis vecturam imponant, præque putridis medicis majus ipſis debeatur naulum. Sed ad rhombum, rationis vacemus examini, quæ fermentatores putridarum continuarum intermittentiumque febrium curam aggrediantur, quibus reſpondeant indicationibus, & quibus à putridis deflectant medicis. Indicantia & indicata hoc ordine projici poſtulant. Sanguis fermentatione plus vel minus debito concitatus, fermentumque degener præcipua ſunt indicantia; quæ autem ſegniorem provehant fermentationem, nimiſque æſtuantem inhibeant, atque quæ fermentum craſi extirpatum reſtituant, remedia ſunt indicata. Facultas vitalis languore confecta, ſpiritibuſque orba, medicamentum cardiacum reficienſque indicat, facultati animali pluribus inſomni tranſactis noctibus exolutæ, opiatis occurrendum. Alvus officii immemor, glande ſtimulante, vel laxativo enemate excitanda. Neque nimis intumeſcentis quæ ſunt fermentationis ſymptomata urgentia ſoboles, poſthabenda. Paraphrenitis ab halitibus ſulphureis orta è fermenteſcente maſſa ſuffumantibꝰ, à cerebro revellentibus ſopitur. Aſtringentia diarrhææ, enormique vomitui habenas injiciunt. Hactenus in genere de indicationibus ab eorum theorematis delimatis, nihilominus iis devitatis,

vitatis, fermentatores medicorum putridorum curandi methodum, utcunque ægros ad proavos præcipitantem, arripiunt, prout mox recitabitur. Ut autem Medice illustretur, praxis eorum ad particularem adaptata delibanda foret ægrum, cujus ætas, sexus, temperamentum, præterita vivendi ratio, anni tempestas, pulsus modulamen, urinæ status, urgentia symptomata, causæ procatarcticæ, occasionalis, moduſque primi febris insultus, quibus stipata symptomatis, quæ deinceps acciderint symptomata, respirandi ratio, hypochondriorum, stomachi, & alvi habitus, species aspectus ægri, modus loquelæ, quis corporis habitus, quæ evacuationes solennes suppressæ, an febris sit essentialis vel symptomatica, an primaria vel recidua, quo ultimo laboraverit morbo, quæ applicata remedia ante medici adventum, multaque alia distinctè proponenda, cujusvis medici curam febris aggressuri, meditationi objicienda essent. Atqui in tantum a necessariis his animadversionibus recedunt, ut ad patientem accersiti, pulsu solummodo tentato, urina perspecta, & de alvi statu facto scrutinio, cæteris omnibus posthabitis, quam primum ad præscribendum sese accingunt, primumque ut alvus fiat apta, sequenti enematis formula moliuntur; præmonitus tamen sis de more, quod juniores ex academiis nuper oriundi medici Pharmacopœorum officinis sedulo advolant, quo

quo de ſeniorum formulis certiores fiant, his imbuti in fit, ut ſinguli medici iiſdem remediorum paradigmatis ſint inſtructi. neque latum quidem unguem alter ab altero deflectat. Itaque receptiſſimas tibi pro febre debellanda per univerſum ejus curſum congeſſurus ſum formulas, à modernis fabricatas; poſtmodum quam proſperis auſpiciis ævum noſtrum iis uſum fuerit, ſingulatim animadvertam. Enematis prout communiter proſtat delineatio hæc eſt.

R. *Decoct. commun. pro clyſt. vel juxta alios.*
R. *Decoct emollient comm.* lib. j.
Elect lenit. ℥ j.
Olei com. vel viol.
Mel. Mercur. vel Rvs. ana ℥ j. *vel* ij.
Sal. com. q.s.
m.f. enem.

Sunt qui ſalis culinarii loco ſal nitri, vel lapidem prunellæ ſubſtituunt ad ʒ j. quippe quod vi detergente & refrigerante longe majus eſt, atque revera omni enematum ſpeciei amplius in emolumentum adjicitur cryſtallus minerali, quum inteſtinorum craſi optimè conſonet; è contra ſal marinum proprietate ſiccante, inflammante, & irritante donatum, inteſtinis ſummopere adverſatur; hac de ratione priſci

prisci tam internum in pilulis, eclegmatis & enematibus, quam in unguentis externum usum ejus crebro coluere. Ex fermentatoribus Aliqui purgantium vel laxativorum enematum applicationem acriter impugnant, quod corruptos excrementitios humores ad fermentandum provocent, quorum halitus in vasa terebrantes febrilem fermentationem impetunt intenduntque. Ab altera parte Putridi Medici his reponunt, dum enemata ocyus & extra vasa opus præstent, ne caloris minutum suppeditare queunt, neque halitus exufflare, coli valvulæ eis transitum inter-dicente. Postremo quod humorum extra vasa corruptelæ, sine debilitatione vel fermentatione sit expedita scopandæ ratio, quæ temporis processu alias malignæ intra venas materiæ large suggerere valeret; non paucorum etenim est suffragium, febres quasdam primo appulsu putredine tantum nocuas, in malignas funestasque degeneres factas, in vasa regurgitante amurca putrida, plicis tunicisque intestinorum recondita, inde enemata purgantia semel bisq; reiterata necessario in usum trahenda, deinceps singulis diebus semel è lacte & laccharo paratum, emolliendi, detergendi, refrigerandi, revellendi, & evacuandi gratia, enema injici curant. Sunt (vix tamen mente valentes) qui prædictum enema è lacte crudo conficiendum, frigideque injiciendum sustinent, coctione

alias

alias volatiliores energeticas particulas in auras protrusas rati; at sunt immemores, quantum actu frigida partibus membranosis intestinisque obsint, ac è mesenterio intestinorumque latebris sufflatos vapores, ad cor cerebrumque repercutiant. Alii tertiam vel mediam aquæ portionem ebullienti super prunis lacti affundendam censent, deinceps saccharo adjecto in anum tepide impellunt. Aliqui simpliciter lac saccharo temperatum coctumque à *lib.* §. ad *lib.* j. pro enemate imperant.

Inferiore corporis taberna hoc pacto emundata, duabus, quatuor vel sex interjectis horis, phlebotomia in brachio dextro celebranda in suppetias citatur, cui non modice fermentatores quidam refragantur, dum spiritus Vitæque materiam exantlet, quibus succumbentibus fermentatio coctioque obturbantur, ac heterogeneis portiunculis victrices agentibus, infausta jam obvia despicitur crisis. Hujus sectæ tamen numerus superior se medicis putridis hac in materia abdicare pro consulto non habet, quod omnes fere febres nimia fermentatione exorbitent, & spiritus ab heterogeneis corpusculis, calore plus debito incitato, ac fuligine pororum cute constipatione obserata, prosternantur, omnia quæ mala phlebotomia insigniter infringit. His expugnati prudentiores rationibus, bis, terve, quaterve, secundum

cundum plethoram venæ ſectionem inſtituendam præcipiunt; alii tertia quaque aurora, alii alternis diebus cruorem depromunt, donec cum anima tandem totum prolexerint.

Jam proximè in materiam fermento ultra modum excandeſcentem Diaphoreticorum & cordialium medicaminum nervi intendendi. Hoc in loco fermentatores & Putridi ſunt diſſoni, his vitalem facultatem collapſam cardiacis frigidis ſolum refocillantibus, ſicuti alibi notum fiet. Pharmacopœorum filis appenſæ, & prout à famigeratioribus medicis concinnatæ fuerint, ſudorificorum cardiacorum formulæ modo depingentur.

R. *Aq. ulmar. totius citr. lujul. ſcabiot. card. Ben. rut. dracunt.* ex his trium vel quatuor, *ana* ℥ j.
Aq. Theriacal. Epidem. ana ℥ ſß. haud raro ℥ j. vel ℥ j. ſß.
Aliqui addunt *Diaſcord. fr.* vel *Theriac. Lond.* ʒ j.
Spec. è chel. cancr. comp. ♃ ij.
Syr. garyophyl. vel è ſuc. citr. ℥ j.
m. f. pot. vel *Jul.*
Capiat Cochl. 2. *vel* 3. *altern. hor. vel cochl.* 4. *quarta quavis hora.*

Hoc præſcriptum quamvis ævo fere apud noſtrates Viguerit, ſugentibus quibuſdam fermentatoribus

mentatoribus in aquam theriacalem tela collineare Visum, aceto in ejus concinnatione non minimam sibi vendicante partem, & fermentationem febrilem in furorem lacessente; pro aliorum quamvis suffragio acetum fermentationem attemperet, & particulas coagulet fermentativas; quinimo astringit, corporis spiracula obserat, omnemque evacuationem inhibet, quibus de rationibus ipsis aceti usus suspectus habetur, sed ejus loco *aquam epidemicam* dupla mensura affundunt, cujus descriptionis, in Collegii *Londinensis* adversus pestem symposio, tractatulo jampridem in lucem edito, tibi facta est copia, quum tamen exemplaria sint distracta pene omnia, eam hic apponere haud gravabor.

R. *Rad. tormentil. angelic. pæon. m. zedoar. glycyr. helen.* ana ℥ß *fol. salv. chelidon. maj. rut. summit. roris marin. Absynth. ror. sol. arthemis. pimpinel. Dracunc. Scabios. Agrimon. Melis. Card. Beton. centaur. min. fol. & flor. calend.* ana *m.* j. *incidenda incidantur, contundenda contundantur, & digerantur per triduum in Vin. al. opt.* lib. viij. *ac distill. in Alemb. vitr. nonnulli præscriptis adjiciunt cerasa nigra, flor. paralys. pavav.* Rh. *& quidnon* ℥

In puerorum febribus *Aqua Theriacalis*, & *Epidemica Aquæ ſcordii* compoſitæ poſthabentur, tanquam calore minus nocuæ. Pauliſper hic pedem figamus, quo an acetum *Aquæ Theriacalis* appendix fermentationem in vaſis febrilem repercutiat, animum advertamus. Quibus chymiam vel primoribus labris ſalutatam habentibus, ſatis ſuperque conſtat, portiunculas inter acido-ſalſas, & alcalizatas lixivioſo-ſalſaſve è lucta fermentationem prognaſci, proprietate in tantum ſibi invicem adverſantes, ut alterutrius deficientia fermenteſcendi actio actutum præcidatur, itemque ubi alterutrius juſto demenſa poteſtas proportionis ordine excedat, quo minus alterum impetere queat alterum. Pro ſarta tecta habetur veritate, quod æſtuante febre cruor lixivis & alcalizatis ſit ſatur ſalibus, quamobrem acida conceſſa medicina, veluti vitriolata, vel aceto diluta, ex naturæ immutabili operandi lege fit, ut fermentationis (ſi tale quidpiam concedere fas eſt) intendatur furor, quo vigente officientia corpuſcula è maſſa ſecernuntur projiciunturque inde, ut perfecte depurata defæcataque tandem emergat. Cæterum quo prorſus rem ratam faciamus, in ſtomacho ſi coctio fermentatione (prout ab ejus aſſertoribus circumquaque promulgatur) conficiatur, commonitus ſis, quod Embammata aceto irrigata, (præſertim capparum, geniſtæ gemmarum,

marum, aliorumve acerborum condimento imprægnato) eam intensè acuant, illis etenim ingestis circa stomachum & hypochondria, nec non faciem, aures, & capitis fastigium, æstu irretimur. 2. *Aqua* aceto temperata *Theriacalis* inde penetrantior energiaque alacrior emergit, quo prompte in intimas centralesque corporis partes insinuando, antifebrilis munere fungatur. 3. Quum vero è non paucis mixtura *Theriacalis* acrimonia & calore causticó præpollentibus perperam conflata sit; ut sunt aromata varia, *imperatoria*, præter impura quædam sulphura, aliaque; illorum acetum magnopere aciem obtundit; hæc autem sulphura nimirum non minus fœtore quam recrementis exuit. Quo elucescit, quantum hallucinentur, qui eo obtentu fermentationis inhibendæ nimirum *aquam theriacalem* & *apotheriacalem* propter ingredientia acida increpant. Hisce posthabitis præfatis, quanquam ob rationes nuper citatas *aquam theriacalem* non vilipendo, aliis tamen de causis mihi medicamentum viribus plane effœtum videtur; liquor enim distillatione à digesta in cucurbita materia profusus, præter merum phlegma parca ingredientium virium acidis etiam præfractarum portione imprægnatum, nihil prodit. 2. Acida partibus componentium salsis allectis induta, inde non tantum innato pondere, sed & ex illis ascito ponderosiora

emergentia, alembicum vix transcendunt, sed fundum colunt; adeo ut acidorum noxa, dum in imo sint residua, fermentatoribus fastidium non commoveat revera. Hac adducti ratione, qui acetum alexipharmacorum virtutibus in febres malignas pestilentesque saturatum celebrant, posthabita omni distillatione, sola digestione & filtratione valentissimum tenent, cujus medio utriusque facultates incolumes sunt servatæ. Pariter, qui distillatione Diaphoreticorum alexipharmacorumque salia volatilia, spirituſque proliciendo, insudant, in vini spiritu eorum macerationem curantes, distillando liquorem propellunt, acidorum affusione penitus resecta, cujus in *aqua august. theriacali*, eaque *paracelso* ascripta, in mixtura è tribus in peracutis protypum fit. Hac anacrisi *aquam scordii comp.* dispensatorio lond. exaratam, acetosæ & citri succis alembicum haud conscendentibus, ac cæterorum virtutes implicantibus, vi longe fragiliorem esse præfinitur; non pauci tamen *aquam theriacalem* de *aceto* inculcantes, in *scordii aquæ* laudes panegyrice obstrepunt, tanquam ex acidis restrictionis insontibus conflatæ. His responso exhibendum volo, è problematis extricata solutione, an acetum, prout aquæ theriacali adjectum, sit astringens; neutiquam sane, quippe tempore ejus constringendi facultas alcalizatorum, & volatilium cæteris expullulantium salium ingressu

greſſu elangueſcit, ut aceti tumulata phyſi renaſcatur prorſus ecphractica, haud diſſimili modo, quo Vitrioli oleum reſtringendo omnibus præpollens, ſale tartari olei alcalizato præfractum, jam ſummè deoppilans reſurgit. 2. Quod infarctiones deglutinandas corporum præſertim in febres declivium, per accidens tamen, apprime expediant conſtringentia, ex hoc experimento omnium pene ſuffragiis ſuffulto affulget; Martis ſal ex vitrioli olei ſtemmate partum, ab ipſo vitriolo nullum eſt diverſum, quum ſatis ſuperque conſtet, quod ſit oleum vitrioli abeſuriente ferri materia coagulatum, inque priſtinam formam corpuſque vitrioli cotione tamen ad illuſtriorem gradum provectum redux; quippe è vitriolo Mercuriali ſua portione abjugata condenſato emergens ferrum, jam parte nupera Mercuriali oleo nimirum vitrioli retributa, Palingeneſia quaſi in vitrioli corpus primitivum reducitur; at recrementis impuris rejectis, adeo ut hinc ejuſque ſapore pontico ſal martis Medicamen adſtringendo inſigne propaletur, nihilominus pertinacibus ſplenis, jecoris matriciſque oppilationibus demoliendis, pro herculea medicina adducitur. Tale feliciter obit munus, inter ſuas acidas & pyroſalſas humorum portiones in vaſis ciendo pugnam efferveſcentiamque, qua tandem cruor in venis coagulatus diſſolvitur, & craſſus attenuatur. Chalybs aceto præparatus, (quo cer-

to certius vis ejus astrictoria vitriolata amplificatur) annon orbe medico astipulante, contra obstructiones præclarus habetur? Hinc sis edoctus, quod chalybeata omnia, & simpliciter Vitriolata medicamina, per se restringunt obthurantque, at per accidens resolvunt, reserantque, quocirca summa cautione à medicis dogmaticè spagyricis in praxin ducenda, prout sequenti illustratur narratiuncula. Non infimæ classis medicus fermentitius, croco martis diarihoea biliosa spiculato ægro ter exhibito, (præmissis quamvis binis rhabarbari & myrobalanorum infusionibus) tanta intestinis tormina ac viscеribus dolorem & phlogosin intulit, ut duplicatis sedibus patientem ad orci fauces delegaverit. Quo autem imitatur inauspicata hæc medicatio fundamento, è præhabitis est recensendum.

Ad digressus punctum jam retrospecto, non soli antisebrili cardiaco creditur febris oppugnatio, quin aliud pure cordiale ipsi in suppetias adjiciatur, quo cordi arteriisque spirituum supplementum afferatur, antigrapho sequenti:

℞. *Aq. melis. tot. citr. lujul. aur. cerasi nigr* ā ℥j.
Aq. mirabil. ʒ vj. *tinct. Croci*, vel juxta alios.
Tinct. menth. ʒ ij. *succ. kerm.* ʒ j. vel ʒ j. ß.
Syr. garyophyl. alii scribunt.
Syr. è suc. citr. ℥ j.
m. f. Pot. capiat cochl. 1. *vel* 2. *altern. horis*

Huic

Huic nonnulli adjiciunt Confect. Alcherm. vel de Hyacinth. ʒ j. item ſpec. è chel. cancr. comp. ℈ ij. vel ʒ j.

Atqui quibus de pauperiè ſpirituum hiſce aquis inſitorum, id genus præſcripta minus arrident, vinum rubellum aromaticum flamma repurgatum, aquis ſyrupiſque cordialibus dilutum, ægris propinant. Item vinum crudum Rhenanum, prout è ſequenti patet.

R. *Aq. Hord. depur.* lib. j.
Aq. bor. bugl. viol. ana ℥ ij.
Vin. Rhenan. Elect. ℥ iij.
Syr. è ſuc. citr. Caryoph. ana ℥ j. ſ. ſ.
m. f. Julap.

E quo ſumat patiens ℥ iij. tertia quaque hora.

Quale autem fuerit ſeligendum *vinum rhenan.* pharmacopæi guſtui concreditur, An *Bachracenſe*, *Rinckhowenſe*, *Hochmorenum*, vel quodvis è centum vinorum Rheni ſpeciebus merum, toto cœlo diſcrepantibus.

Cordialia refrigerantia, (juxta vulgare idioma) qualia ſunt Aq. 4. Cordial. *Aquafrigida Saxoniæ*, à priori ævo medicina, cui nulla ſecunda, habita, aliaque omnino apud fermentatores exularunt.

Febris nervis vix hiſce præſidiis laxatis,

alexiteriorum ſpeciebus figitur ſalutis anchora; dum etenim æſtuationis turbo per ſex vel octo dies inducias nullas indulſerit, ab impetus pertinacitate & duratione, jam maligna gregarie definitur febris. Specierum paradigmata forma proſtant duplici, altera pretioſos lapides, Margaritas & Bezoar indigitante, altera radicum alexicacarum (quarum numero *Serpentariæ Virginianæ radix* præ cæteris hoc ævo celebratur) innitente baſi.

R. *Spec. è chel. cancr. comp. corn. cerv. n. pr. vel hujus vice rad. ſerpent.* ana ʒſs. *Lap. contrajerv.* ℈ ij. *m. f. Pulv.*

His nonnullis volupe eſt addere; *Trochiſc. viper.* ℈ ij. *vel ſalis ejuſdem* ℈ j. *Cochinil.* ʒſs.

Capiat ℈ j. quarta vel ſexta quavis hora in Cochl. 1. Cordial. Julap.

Lapidis Contrajervæ deſcriptionem, cum apud nos celeberrime audiat, annectere hic lubet.

R. *Rad. contrajerv. pulver.* ℥ j. *ſerpentar. virgin.* ʒ ij. ſs. *Extract. Rad. Angel. tormentil.* ana ʒ ij. *Corn. Cerv. uſt. nov. præp. Coral. rub. chel. cancror. lævig.* ana ʒ j. ſs. *Antimon. Diaphor.* ʒ iij.

Croc.

Croc. angl. Lap. Bezoar. ana ℈ j.
Cum gelat. ſpol. ſerpent. formentur globuli ſub umbra exiccandi.
aliqui addunt *Trochiſc. è viperis* ʒ j.
Cochinil. ʒſ vel ʒj.
Ambr. gryſ. gr. 8. vel 10.
Doſ. ℈ j. ad ℈ ij. & ʒ j.

Hanc formulam ſæpius etiam offendi.

℞. *Spec. confect. liber. vel Cardiac. magiſt. vel Diamargar. frig.* (*ex his unam, binas, vel omnes ſimul*) *à* ℈ j. *magiſt. perlar. Coral.* ana ℈ ſ.
Lapid. Bez. or. gr. 8.
m. f. Pulv.
nonnunquam & ſic.

℞. *Lap.* 5. *pretioſ.* ana gr. 15.
Margar. præp. ℈ j.
Lap. Bez. ℈ ſ.
m. f. Pulv.
Doſ. gr. 15. vel ℈ j.

Sumenda ter per diem horis medicis in cochl. 1. Cordial. Julep.

Alii ſententia debacchati propria, medicaminis vere apollinei Elogio magnificant *Extractum* quoddam *Cardiacum*, non autem *Quercetani*, adeo ut equitatus turmæ imperio quondam functus, aliquot retro annis medicinæ Doctorem agens quidam, febrium quamvis malignitate ſumma furentum impreſſionem

ſe

ſe præfracturum, pro rato promulget, hujuſmet extracti opera, ſibi ſoli aſcribens ejus arcanum, quum illius compoſitionem à Doctore *Read*, Medico ſuo tempore famigerato, conſtet concinnatam, atque ſæpius ab hodiernis practicis in uſum tractam, auſpicio tamen haud diverſo, quo vulgaria ſtipantur Cardiaca.

Extracti Cardiaci delineatio ſic ſe habet.

R. *Mithridat. Diaſcord.*
Philon. rom. Theriac. Andr.
Croc. angl. lign. Aloes, rad. Hyoſcyam.
ana ʒ vj.
Opii theb. ʒ iij. *extrahantur omnia ſeorſim cum ſpir. Vin. q.s. & exhal. ut fiat Extr. Doſ. a.* ℈ ß *ad integrum, &* ʒ ß.

Quod plures inſomnes tranſegerint noctes, patientibus (Palladis arce expugnata) mente vacillantibus, ſi ſomni hora hypnotico ſubnexo occurratur, haud parum è re futurum ducunt.

R. *Theriac. Londin. (tanquam calore minus nocuæ) vel conſerv. lujul.* ʒ ß.
Margar. præp. ℈ ß.
Laudan. opiat. gr. 2, 3, vel 4.

Locus diei menſis. *m. f.* Bol. *capiat hora ſomni.*
Pro tali *Locus priorum literarum Medici nominis.*

In-

Incaſſum his mandatis peractis omnibus, ac appropinquantis ægri fati indicio emicante, tanquam ad ſacram anchoram ad tam hyperbolicè decantatum cornu cervini ſpiritum pernices ſunt iatri, hujus octo vel duodecim guttas bis terve per diem in cordialis julapii plenum cochlear elutriandas conceſſuri; neque deinceps amplum prius emetitur ſol ſpatium, quam Phœnigmi & Epiſpaſtica emplaſtra in extremæ unctionis teſtimonium, internis paulo ſupra malleolum crurum partibus, ſimulatque internæ brachiorum ſuperficiei, haud longe à carpis diſſitæ, & non raro juxta axillas, imo nonnunquam & nuchæ, agglutinentur. Horum penſum materiæ malignæ & venenatæ ſub ichoris forma in bullas amplas è penetralibus ad extimam cutem profligandæ deſtinatur, illis que perforatis ***Empl. Meliloti*** madorem prorſus exhauſtura applicantur. Tandem ſunt ***ultimum*** patienti dicturi *vale*, pedum plantis columbis vivis per medium diſſectis, vel ***halecibus muria conditis***, vel ***fermento acri, tithymalo, rad. ranunc. pyrethri ſem. ſinap. ſap. nigr.*** vel ***ſale nigro***, uno vel pluribus confuſis alligatis, aſteriſmis expoſitus deſeritur ægrotans, quo caſu nonnulli (perquam pauciſſimi tamen) ſub mortis umbra aliquot horas elingues ſenſibuſque caſſi quum dormitarint, pedetentim ſuſcitati expergefactique ſunt, natura vires conſopitas repromente, cæteri convulſivi,

vel

vel quasi syncope obruti ultimum diem obeunt.

Non multum practici morantur Moderni, quo sitim compescant febricantes potu, eis cerevisiam generosiorem quibusdam audaculis annuentibus, aliis tenuiorem pane tosto immerso, vel coctione frigore cruditateque repulsis. Nonnulli avenæ *hordeatæ* decoctum tenuius, alii cornu cervi rasuræ, nonnunquam usti, vel illius hujusque, usti nimirum crudique cornu simul decoctionem ægris propinant. Quidam hordei mundati decoctum concedunt. Acidis, sale prunellæ, syrupisque refrigerantibus temperata Julapia, apud plures in desuetudinem abivere, propter acida ab illis de causis nuper enarratis suspecta habita.

Si vero quæ in prælibatam sim animadversurus praxin præstolaris, te spe eludere nollem, (alibi tamen, modo suffragii parcas tenuitati, isti negotio operam navaturus) nisi concinnè praxis Belgico-germana (nam nulla pene inter practicos Germanos & Belgas intercedit differentia, excepto quod hi cruore deprimendo liberaliores sint, illi pulveris cujusdam antisebrilis usum celebrent) & methodus Gallica huic subjungi possint.

Medicus in Belgio Germaniaque febri continua patienti insidiante indagata, extemplo purgante enemate præmisso, e *decocti emollientis libra, uncia una vel sesquialtera Elect. lenit.*

lenit. vel cathol. oleo com. vel violar. melle & ſalis modico adjectis, phlebotomiæ in brachio dextro ad ʒ 6, 8, vel 10. excolendæ, quo dematur plethoræ, ſarcina ſublevetur naturæ, & obthuratis ſpiraculis viſcerumque infarctionibus ecphractico ſit, author eſt. Poſtridie in cacochymiam & ſaburram in inferiore corporis ergaſtulo accumulatam eliminandam, potionis forma ſequens ſimpliciſſime concinnat.

R. *fol. ſen. or.* ʒ ij. ïij. *vel* ʒ ß. *ſem. fœnic. d.* ʒß *vel* ʒ j.
f. infuſ. per noct. in aq. cichor. q.s.
In colat ʒ iij. *vel* iv. *diſſolv. man. calab.* ʒ j. *vel* ʒ j. ß *vel* ʒ ij.
nonnunquam *Syr. roſ. ſol.* ʒ j.
m. f. Pot.
Capiat cras mane cum cuſtodia.
Pro tali.

Alii *frigidam* (prout nomen ab iis inditum) *infuſionem* celebrant, ex iiſdem *ſenæ folliculis* pari pondere cum vel ſine corrigente in aqua fontana *Salis vel Olei tartari* 10. vel 15. guttis inſtillatis, abſque igne ſubdito in frigido per noctem macerandis, poſtmodum expreſſione *manna, ſyr. roſ. vel ſaccharo* edulcorata conflatam.

Ob calorem in eo exuperantem, aſtrictoriamque à purgatione peracta facultatem, poſtponitur rhabarbarum. (Quam-

Quamvis hoc pacto in febribus ineuntibus continuis purgationes moliantur, haud tamen respuunt Hippocratis præceptum, (πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν μὴ ὠμὰ ἢν μὴ ὀργᾶ, &c. i. e. *cocta medicari & movere non cruda oportet nisi turgeant*) quum extra vasa mesenterii intestinorumque è latebris eliminent excrementitios humores, nunquam sane concoquendos; etenim horum copia, quod è radicibus, brassica, satura herbaria, lacticiniis, & oxygala, aliisque excrementitio scatentibus succo, pastus conficiant, corpora tument. Itaque prædicta summi medici lex ad humores intra vasa fluitantes tantum spectat.

Deinceps alternis diebus enema laxativum infundendum curant ad flammas febris vibrantes coercendas, è refrigerantibus aquis syrupisque julapia, nonnunquam ex amygdalis & seminibus frigidis emulsiones coaptant. Facultatem vitalem collapsam *spirituosa* refocillant potione, hoc protypo prout in Belgarum pharmacopoliis passim præscripta aperte edocent.

R. *Aq.4. cordial.* ana ℥ j.
Aq. cinam. ℥ ß *vel* ʒ vj.
Confect. Alkerm. ʒ j.
Spec. Diamarg. frig. ℈ ij.
Syr. è suc. citr. ℥j.
m. f. Pot.

Sæpius

Sæpius Aquis cord. adjicitur ſimili menſura *aqua melis. Aqua Cinam.* vicem gerit nonnunquam *Aq. Vitæ Mat.* item pro *Confect. Alkerm. Conſ. de hyacint. apponunt.* Natura in extremum vergente ad pulverem cordialem uſitatè fugam arripiunt.

R. *Spec. Diamarg. frig.* ℈ ß.
Magiſt. Perlar.
coral. ana gr. v.
Lap. Bez. or. gr. iij. vel iv.
m. f. Pulv.
ſumendus bis per diem mane
& Sero in Julap. cord. modico.

Vigiliis animali fracta facultate ſomnum ſequenti conciliant.

R. *Aq. Bor. nymph. pap. Rh.* ana ℥ j.
Aq. Cinam. ʒ ij. *Confect. de Hyacinth.* ℈j.
Syr. Papav. Rh. ℥ j. *vel* ℥ j. ß.
m. f. Pot.
capiat horâ ſomni.

Rariſſime opiata hoc caſu illis in uſum cedunt, de eorum indomita vi narcotica ſolliciti, præſertim quum ægri vires ipſi diſcutiendæ vix ſunt pares.

Paraphrenitide ægrum corripiente, ſanguinem è pede ducunt, vel ſi nimis langueant facultates

cultates principes, cucurbitulis cruorem à cerebro ad extremas revellunt partes; at Phænigmos plane deteſtantur. Febre declinante, ſedimento albo in urinis ſpectato, potione prædicta evacuationem ſemel vel bis inſtituunt.

Galli febres putridas malignaſque ſubjugant, Phlebotomia prima vice larga manu celebrata, deinceps alternis diebus ad ℥ ʒ, vel 6. reiterata, interjectis diebus enema laxativum, & nonnunquã potionem è *ſenæ infuſione, mannæ, caſſia* (quæ illis in ſumma habetur veneratione) Syr. roſar. lax. & cryſtal. Mineral. in ea ſolutis, præſcribunt, præter iſta vix quicquam moliuntur. Criticorum dierum nullam habent rationem, ſæpius pronunciantes, quod expectare criſin ſit expectare mortem, ſicque cruorem exhauriendo, & clyſteribus purgando, ſedulò pergunt. In potum ordinarium ptiſanam (quæ omnino parata per totam Franciam in officinis proſtat venalis) concedunt.

Germani à Belgis haud ſunt diverſi, niſi quod corpore purgatione & venæ ſectione exinanito, pulveres miaſma febrile eliminantes & refrigerantes, è *terra ſigill. bolo armen. corn. cerv. uſt. raſ. Ebor. rad. torment. biſtort. ſimilibuſque*, (at his omnibus pulverem *rubeum pannonicum* in Pharmacopœa Auguſtana annotatum præhabentes) proponant.

CAP.

CAP. VI.

Exhibens; Quod febrium continuarum putridarum praxis subigendarum moderna sit barbara & lethifera.

QUod nefasta exitialisque sit fermentatorum praxis, quis inficiabitur, dum è febrientiũ turba, cujus majorem partem explent forsan viri robusti, juvenes, eusarci, nec hypochondriis tensis ut neque abdomine, æger vix tertius pristini salutis status sit redinteger. Quid inde decernendum, quum ingruente febri, quamvis primo accersitus mali momento fuerit medicus, viresque plus quam ei subigendo sint pares, nihilo secius succumbat misellus? quinimo sint omnia pro receptissima medicandi norma administrata, cardiaca summa, etiam *Extractum cardiacum*, *Margaritæ*, *Bezoar*, imò ipsi *cornu cervi spiritus*, attamen creberrimè incassum, febresque in lethum usque jubilabunt. Siquidem in fermentatorum gratiam exhibeatur, quod priusquam æsculapius noster decumbentis suppetias iverit, flamma jam in altum fastigietur, radicesque egerit fixas, mali morbi mores facultates imperantes prostraverint, non iatro ut neque ipsius præsidiis, sed intemperiei malignæ nimia mora sævienti ominosi diei occasiõnem vertendam. Huic

repono, non obstante quod primæ glisceni febris (haud tantopere aspectu torvo) scintillæ imminuerit iater, ut modo innui, res pessum tamen ibit; at vicissim, si quis se ruri continens, sit villanus, vel è civitate oriundus, febri (quamvis acuta malique moris) obruatur, atq; cura aniculæ rusticæ sit demandata, evestigio *poscetum* quoddam cardui benedicti vel piperis probè satur ægro propinat vetula, eumque stragulis coopertum, usque sudore diffluat corpus rorido, cubili adjudicat, hac scena iterum atque iterum repetita, reliquum naturæ concreditur, cui tam *dexter adest Apollo*, ut ex decem novem ut plurimum, morbo debellato, potiantur victoria. Insuper Senex Divinus majorem vix opem febrienti attulit, quam nihil agendo, totumque naturæ conscribendo negotium, ideoque sæpius urget, ne pepsi vacans interpelletur physis *Aphor.* 22. *lib.* 1. μὴ ὠμὰ κινέιν, &c. & *Aphor.* 24. ejusdem libri. Satius foret, quum adæquatum nequeant obluctrare remedium, *Avicennæ* prosequi documentum *Sen.* 4. *lib* 1. *cap.* 1. ***Cum ignoraveris ægritudinem, relinque eam naturæ, quia aut curabit eam, aut manifestabit eam.*** Itemque majus emolumentum ægrorum rebus afflarent cum Hippocrate crisin expectando, quam mille gyris naturæ insidiando, si autem prodesse ignorent, ne obsint ad minus. At quo singulatim vecordis hujus praxeos perstringam seriem,

jam

jam ſuppetit. Ne fermenti nimis exterant aciem, qui germinante febri enemata reſpuunt, de rite minime ſatagunt adminiſtrandis, quum corporis quiſquiliæ, circa inteſtinorum anfractus, meſeraicaſque latebras diverſantes, non exterminatæ, vel cifluviis in vaſa profuſis, æſtum inſigniter laceſſant, vel particulis in cruorem perreptantibus febrim ſuccendere valeant. Hæ quia pepſeos ſunt incapaces, extraque vaſa deliteſcentes, ex facili leviori potiunculæ laxativæ vel clyſteri cathartico, præ omni caloris ingeminandi metu, parent; atqui quum noſtrates tam immanes ſint carnivori, ut ſordidis abunde ſcateat totius ſentina abdomen recrementis, annon ſumme neceſſaria è laxativis purgatio vel catharticum enema? Primis tamen diebus, nam ſubinde maxima iſtius ſaburræ ſcoleciæque pars in vaſa à rapaci ſanguinis torrente eſt abducta, ideoque tunc omni ſuperſedendum purgationi, quippe inde opere avocabitur cum interturbatione ſumma natura, abſque emolumenti tantillo. Nec quæ jam in apricum protuli Hippocrati ſunt diſſona, prout eſt obſervare *Aphor.* 10. *l.* 4. *in acutis paſſionibus eadem die ſi fieri poteſt, medicandum, nam in his cunari malum eſt. Item Aphor.* 29. 2. rationem autem ſubjungit. Aphor. 30. l. 2. *Circa initia omnia debiliora, & in ſtatu omnia fortiora quæ purgationem fieri impediunt.* Secundo, omnia in febres proclivia

& febrientia corpora plethora, ut plurimum ad *vires*, in principio degravantur, qua ſpiritus coarctantur, ac nimia condenſatione excandeſcunt, torpeſcit circulatio, motuque ducitur enormi, ac ſpiracula obthurantur; quantum res urget, ut ſanguis quamprimum ſuppromatur? inde ſpiritus promte ſe expedient, cruoris motus ab anomalo fiet regularis, meatus cutanei liberiores evadent, ac æſtus demulcebitur. Atqui quum non raro febri prima Phlebotomia ſubacta, non tamen ad apyrexiam prorſus, ſcintillis flammam reſuſcitantibus, de novo intumeſcit, turgetque maſſa cruenta, hinc pro ſecunda vice venas deplendas ſectione peræque ſuadet ratio, ut eoſdem aſſequamur effectus. Qui autem tertiam venæ Sectionem attentandi enituntur ſtudio, impune cum cruore ludunt humano; at non æque hac tertia, ac prioribus binis depletionibus proficitur, ut millenis mihi conſtat experimentis, quinimo truculente ſpiritus vireſque mactantur, pabulum illis ſubtrahendo requiſitum, ac eorum baſin & fundamentum plane evertendo; Etenim ſanguini tanquam fundamento & ſubjecto inſident, & ex hoc Vitam ducunt. Porro non uſque adeo turget tunc ſanguis, quia citra præhabitas ſanguinis ſubductiones maſſæ univerſæ portiones ſunt attenuatæ & liquefactæ, atque per plures cavernulas antea refertas diſperguntur. Itemq;

jam

jam arctus ſpirituum vitalium cum corpuſculis febrilibus (qualia autem ſint hæc, in poſterum narrabitur) intercedit congreſſus, adeo, ſi ſpiritus vel interturbes vel venæ ſectione exhaurias, de neceſſe à miaſmatum febrilium partibus ut ſteterit victoria, mortem in trophæum producturorum. Millies mille illa ſtrage lanceolæ cæduntur. Quo rem magis perſpectam habeas, malignè febrientis exemplo, ſum illuſtraturus; hic autem ſi vel ſecunda tantum vice, imo nonnunquam & prima, ſanguinem è tuſa vena profunderet, ſe vitæ diſcrimini certo objiceret; in promptu eſt ratio; ſanguis ſæpiſſime hac vigente febri vix intumeſcit, (etenim neque pulſus neque urina impenſe aucti caloris intumeſcentiæ cauſæ ſunt indicia, nec fuliginum copia præcluduntur ſpiracula) iccirco ſanguis nequaquam eſt demendus, quia nullo modo ut nec copia ſpiritibus officit; ſi tamen præter rationem exantletur, adeo devaſtantur ſpiritus, ut congreſſui impares reddantur; ſecundo, vaſa cum tam raptim venæ ſectione depleantur, impetuoſè materia maligna vaſis capillaribus ſtagnans, vel alibi intimis effugiis & mæandris recondita, in vaſa majora ad partes imperantes ducentia arripitur, unde particulis congeneribus accedente ipſa, junctis viribus vitæ præſidia impetuntur; demonſtratio ſane ampliſſima. Binorum hic ſolvendi nodi ſuperius aſſertorum. Primus eſt, nu neri ratio venæ

sectionum, unde prima enumeranda, unde secunda, & tertia; alter, quare ad punctum definiantur venæ sectiones binæ. Primo autem symptomatum, è febris non intermittentis, (ut *Hippocrates* passim eam nuncupat, sub cujo nomine & continuæ & continentes latent febres) prolabentium latice, aggressu, sanguinem eadem die, pro vasorum plethora, è brachio ducere expedit, quo materiæ febrilis fiat inhibitio, ne cum massa per vasa profluente majora confundatur, neque impetum facientia cominus impetat, etenim in quantum ista forent, in tantum cruoris profundendi moderanda est ratio. Porro sanguinis depromendi mensura & ab intumescentiæ gradu desumenda; nam si hujus ratio sit ut octo, totidemque graduum subducendorum norma sit sanguinis castratio ad uncias 10; Ergo si intumescentiæ gradus fuerit ut 4, unciarum 5, vel 6. sanguinis subtractio illius compescendæ par erit; proque hoc modo in cæteris est instituendum computum. Ubi autem materiæ febrilis orgasmus fuerit placatus, ejusq; malignè agendi facultas cohibita, latebrarum extra vasa dissitarum capillariumque vasorum mandatam vinculis, nempe febris materiam, postridie potione cathartica, vel duabus interjectis diebus, eliminare de facto convenit. Simili pacto ingruentis febris malignæ insultus edomabitur, quamvis alias certò in perniciem sit actura, nihilo secius liberabitur

tur æger. Enema laxativum vel emolliens saltem præjecisse phlebotomiæ oportet. Haud raro febricitantes sub limine rigore strenuo, vomitu enormi, lipopsychiaq; frequenti torquentur, eadē die venis contenti uncias sex vel octo profundendo extenuatis, intumescentia cruoris, vasorū plethora & materiæ febrilis orgasinus, me consulente plane coercita sunt. Atqui reponere cuipiam volupe est forsitan, si singulis prædictorū accidentium exortibꝰ in sanguinem deprædatio foret, sæpius temerarium ac irritum foret institutum, quum non raro ista symptomata suapte sponte, sex vel octo horis, sedato sanguine evanescant, ut in tertianis intermittentibus, quibusdamq; alius speciei febribus, accidere solet. Tali emersione respondeo, nunquam frustra cruoris superpondium venæ fissione sublevatur, quum plethoræ materiæq; æstuantis symptomata prædata sint soboles; atque concesso, quod suapte orgasmus subsideat tendentia, leviſſima de causa repullulat; quare ut naturæ succurratur, necessario aliquatenꝰ sarcinæ proportio est præscindenda. Secundo, exercitato fere cuivis medico constat orgasmi natura, an scheticum vel permanens edat specimen, indeq; de phlebotomiæ necessitate statuere ex facili ipsi erit copia.

Crebro attamen cum fiat ut secundo vel tertio, imo quarto die, vel ulterius tantum consulant ægri medicos, indagandum p. imò, an eadem, major, vel minor sanguinis mensura sit

profundenda, quam si primo æstus insultu medicandi occasio medico integra foret: secundo, an nihilominus iatro tertio vel quarto die adveniente, illa cruoris depletio sit enumeranda prima, atque subinde quinta, vel sexta, vel octava, aurora sit retentanda posterior phlebotomia. Prius prælustranda coctionis ratio, & animadvertenda inediæ, vel tenuitatis victus causa cruoris pauperies, quam de re quicquam certò definiendum. Itaque pro hypothesi modo, (si de veritate hujus absoluta tibi è subsequentibus non constiterit) habeatur, quod natura materiæ acutarum febrium coquendæ innitatur opera tredecim, imo nonnunquam quindecim dierum spatio, atque subinde decimo-quarto, vel decimo sexto, secundum lunæ cursum, ipsius separationem & expulsionem moliatur; idcirco *Hippoc.* pronunciante, *Aphor.* 13. *l.* 2. Ὁκοίσοισι κρίσις γίνεται, τουτέοισιν ἡ νὺξ δύσφορος, ἡ πρὸ τῶν παροξυσμοῦ. Coctio ad ἄκμην decimo tertio est provecta, quia statuitur ille dies decimum quartum immediate præcedens, quo dictante eodem *Hippocrate* (*Aphorism.* 22. *l.* 2. Τὰ ὀξία τῶν νοσημάτων κρίνεται ἐν τέσσαρες καὶ δέκα ἡμέρησι) acutarum febrium crises accidere solent. Jam vero nocte crisi prævia cum omnia sint molestissima, oportet ut tunc temporis natura summo coctionis puncto incumbat, quod nimirum est dies vel nox decima tertia, immediatè diei criseos decimi-quarto præfulgens, quo nimirum decimo

mo quarto critico, ut modo innui, natura materiam febrilem coctam pedetentim per alvum, vomitum, poros cutaneos, vel hæmorrhagiam, at frequentissime per diæresin, sedimenti albi (si perfecta fuerit coctio) vel rubescentis (si imperfecta) & ponderosi sub specie separat & exterminat. Hic vero notandum, crises corporibus in calidis tenuibusque climatibus, & quibus sanguis vasa perreptat tenuis, obstructionum vadis carentia, oboriuntur rapidæ, materiam coctam simul & raptim per alvum vel cutis spiracula eliminando; at septentrionali in plaga decumbentes, quia cruor crassus limosus & pendulo emphraxes circumquaq; promoveat, cutisque eos circumvestiat dura & densa, atque alvi facultas ipsis soporosior sit, ut plurimum pauxillatim renibus & vesicæ materia morbifica demandata, liberantur; interim tamen non dissitendum, quin vox *crisis* prima impositione subitam cum perturbatione denotet ad salutem vel mortem mutationem, idcirco quamvis critice propelli materiam sensim dixero, intelligendum respectu rapidioris criseos, calidorum tractuum propriæ; atque respectu per translationem materiæ morbi solutionis cunctabundæ, criseos nomen jure meretur, nam subito quatuor vel quinque dierum spatio præter propter, universa excernitur materia, hæc obiter. Si autem decimus tertius dies sit coctionis apex, atque ab augmenti momento gradatim intendantur

dantur ſymptomata, quod plerumque quinto vel ſeptimo die in veris acutis, pro lunæ variatione fieri ſolitum, ultra ſeptimum diem phlebotomiam inſtituere nefas erit, quia tunc pepſin aggredi moliuntur ſpiritus, atque cruoris intumeſcentia inedia, (ſi præmiſſa non fuerit venæ fiſſura) & victus tenuitate coercita eſt; quid igitur tunc vis venas depauperare? ſi tamen febris acutæ principio (quod quatuor vel ſex diebus definitur, quia vix ad ſenſum variatur primæ ſymptomatum ſtipationis ſcena) præter exigentiam & rationem indulſerit gulæ febriens, indeque ſanguinis turgentia foveatur, & octava die eum depromere licebit; adeo ut iſta ſint ad ſanguinis intumeſcentiam, & cruoris tenui victu abſorpti nutum collimanda; nam ſi tantum tenui diæta fuerit abſorptum, durante principio, ſive prioribus quatuor vel ſex diebus, quantum unicæ phlebotomiæ æquipolleat; ergo intra ſeptimum eam ſemel reiteraſſe juvabit, ſed iſta judicio exercitati cujuſvis iatri ſunt linquenda: at non ſit immemor, quod Phlebotomia & Purgatio à *Galeno* ſtatuantur remedia magna, à quorum uſu vitæ neciſque dependet jus; neque illius quam hujus uſus minus ſuſpectus habetur, idcirco ad utrumque ſpectat prudentiſſimè dictatus *Aphoriſmus 29. lib. 2.* ἀρχομένων δὲ νόσων, ἢν τὶ δοκῇ κινέειν κίνει. Morbi autem incipere dicuntur dum conſiſtant primi inſultus ſymptomata; at quam

quam primum sensibiliter intendantur (ne tamen proxime subsequatur denuo remissio) principii limites exedunt, augmentumque morbi appellunt. Ex eo item *Galenus* inculcat in prædictum *Aphor. 29. lib. 2. Ut citius eveniant coctiones, circa principia melius est evacuare per venæ sectionem & purgationem.* Avicenna non semel sanguinis missionem laudibus effert summis, at in febris principio, *Fen. 1. lib. 4. Tract. 1. cap. 33.* de febri curanda scribens. *Cum causa est multitudo humorum & repletio, tum oportet & in principio properes ad phlebotomiam.* Item alio in loco tradit; *Evacuatio non est aliqua nisi sicut phlebotomia in quacunque hora accidat, & non expectatur crisis neque digestio.*

Galenus lib. introd. cap. 3. De febribus differens biliosis hoc pacto se exprimit. *Curatur in principio venæ sectione, in statu tam frigidæ, tam aliorum quæ refrigerandi vim obtinent potio confert; idem enim semper remedium accipitur, ut quocunque morbi initio sanguinis detractio;* & alibi declarat, *quod in consilii inopiam deveniunt, qui statim à principio non vacuarunt sanguinem.* Alexand. Trall. lib. 12. c. 2. sic consulit. *Continentes febres solerte diligentia curari debent. subitoque id faciendum, quod internotitia dictaverit, sive sanguinis missionem, sive expurgationem requirat: maximum enim incommodum*

dum est tum in omnibus morbis tum in continentibus dilatio. Quid verbis opus? rem rationibus, authoritatibus, & experimentis abunde detegimus, undeque palam fit, quam barbare in ægrorum perniciem agatur putrida continua laborantium, his circa augmenti medietatem, & finem, ac statum, sanguinem demendo; verissimum dixero, quod Venæ sectio in principio sit vita, in augmenti medio, & fine, atque vigore mors.

Argumentum contra præfata hic duci posset ex eo quid præcipit summus medicandi magister, *Aphor. 8. lib. 1.* scilicet, *quando morbus in suo vigore constiterit, tunc victu tenuissimo utendum*; ne sanguinis massa in tantum excrescat, ut naturæ regimen respuat; Ergo ob eandem rationem sanguinem in vigore deplere licebit, ne spiritus nimis degravet & opprimat. Facile refutatur objectio; victus imperatur tenuissimus, ne spiritus à coctione revellantur, dum materiæ febrili subigendæ inhient; non autem ob adauctum sanguinem, quum subsideant propemodùm Vasorum oscula, ac major potius illius desideretur proportio, quo inde spirituum suppleatur copia.

E prælibatis non arduum, rationem binarum in continuis febribus venæ sectionum eruere, quum in morbi principio, vel in augmenti initio, at rarissime, fuerit celebranda: quippe si quoties possibile instituatur principii spatio, nempe

nempe quatuor vel ſex dierum, ne venam ultra ſecundas vices tranſadigas, vetatur; nam ad minimum ut bini utrique interponantur phlebotomæ dies, virium refocillandarum ergo, oportet, unde liquet vix tertiæ ſupereſſe anſam, ni in augmento naturæ ea velis officere, nec non vires ipſi præſcindere. Si autem malignitate febris ſuboriatur ſtipata, ſumma cautione ſanguinis miſſio attentanda vel reiteranda.

Quænam ſint in febris præſtanda frontiſpicio, hactenus ventilatum, augmenti ingrave ſcentiſve febris medelæ fermentitiæ impræſentiarum vacandum trutinæ. Præliminario diffibulandum, an exacerbantis febris tempeſtate fermentationi ſit ſuffulciendum. Caligine hic cæcutiunt medici, febrium ſtadiorum plane ignari, praxin exercent incautam & impiam, ægrorum in dies cæde manus tingendo; quonam ducuntur magnete, ut juſtum venæ tundendæ, vel cathartici exhibendi, minutum attingant? Pariter, ad quam tendunt metam, dum pulveres, aliaque Cordialia patientibus obtrudant, atque ſi his continuarum putridarum malignarumque febrium ſupprimendarum concedatur facultas, modo ſtatique temporis puncto exhibendi ipſis latentibus, tantum iſtis valent perpetrare facinorum, quantum novacula Barbi tonſor veſanus. Hac adductus ratione *Hippocrates*, albo notandum calculo,

calculo, quod Aphorismorum exordium ab observatione, præ aliis in arte medica, apprimè mente volvenda, sumat. Ὁ βίος βραχὺς ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρίσις χαλεπή. Tertium hujus præcepti membrum, quod nostri est instituti depromit, *viz.* ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, *opportunitas sive occasio est magni momenti*, in acutis præsertim; eadem etenim medicina temporis ratione, & curat, & jugulat. Quin quatuor conficiat quasi stadia, febris vulgata dictat observatio. Primum peragrat, circum subservientia viscera, stomachum, pancreas, pulmones, fellis utriculum, mesenterii glandulas, ex his unum vel plura dum delitet materia febrilis, miasmata isthinc quædam emissaria in sanguinem evomens tumultuantia, inq; æstum cientia. Ut primum materia præfata è latibulo confertim & procellose in vasa majora illidatur, symptomata excandescendo protinus incrementi vultum expandunt. Atqui ubi universa minera se penitus in cruoris regurgitaverit profluentem, è propinquo morbi instat ἄκμη. Cominus tunc cum hoste pugnatur, acieque fracta naturæ arma victricia intestina corpuscula rebellia, humoresque secretos in cloacas excutiunt, ac hoc pacto declinante morbo, salvus incolumisque salutatur æger. Expeditio hæc nonnulla præbet notatu dignissima. 1. Primo marte febrim impetit è longinquo natura, effluviis solummodo quibus-

dam

dam præfusis, congeries materiæ præternaturalis extra vasa majora in profundo nidulante, neque cum sanguinis torrente complexa. 2. Ingeminante febre, portio materiæ parcior cum cruore præterfluo confunditur, uberior vero in latice etiamnum subsidet. 3. In vigore in vasis omnia sunt arcte implicita, cum naturalibus præternaturalia. Fax ex hisce jam præfulget, qua glomeratæ difficultatis terminatio clare internosci queat. Itaque cum coctionis fine quum coincidat fermentatio, subigendæ nimirum qualitatis minimorum in sanguine adventitiorum heterogeneæ, atque ex parte tantum materia irrepserit (dum incremento adhuc hæreat affectus) in cruorem febrilis, nec in prædicti succi penetralia universim insinuaverit, minime fallax fuerit subsidium, si lautum probe salibus volatilibus nutritum haustum diaphoreticum ingerat æger, quo in alacrem fiat præceps sudorem; sanè medium perquam appositum, quo sese à noxiis vis liberet vitalis corpusculis; quandoquidem etiamnum spiritus numero & crasi pollent, atque minus ab hoste impugnantur intestino; unde ex consequentia ipsis protrudendi supereſt potestas, fumi & fuligines corporis meatus & cutis spiracula nondum refercere, naturæ cutaneis exufflationibus patentia, materia sparsim, ex parte, & laxe intertexa tantum cruori est febrilis, indeque diaphoretici vi expulsu facilis

facilis existit; è quibus amplissime constat ac deducitur, fermentationem (proh vocabuli abusus) esse hoc casu facilem reddendam; hac liquore venoso attenuato, spiritibus in vim junctam confugiendi præbetur ansa, qua materiæ febrilis aculeum atterere ac subinde prorsus eliminare queant. Verum quamvis sit facilis reddenda, nullo pacto tamen intendenda fermentatio, quippe quæ sanguineum bitumen in flammas nimis altas concitaret, procellamque cruoris salium fragore ac Vibratione discriminis plenam moveret; hujusmodi indolis sunt pene remedia omnia in præsidia à fermentatoribus adducta, videlicet, *Aqua Epidemica*, *Spiritus cornu cervi*, cæteraque cordialia ignea, prout in posterum fusius enodabitur. Nec rationes in testimonium citatas tanti æstimo, quin experimenta plurima, quibus modo prædicto centenos aliquot à febre synocho liberaverim, priusquam *diem* attigerit, luculenter rem detegant.

Juxta cynosuram præfatam investigemus, quem ad portum ducat cochleatim exhibendorum cordialium æstuantium rhombus; certo certius, febris si quippiam fuerit furens, naufragium imminere. Nam cochleatim ingesta Phlogosi ac incendio pabulum suggerunt, fuliginum materiam adaugent, ac revera meatus constipant; porro nec minimam materiæ febrilis concoquunt portionem, nec coctam segregant

gregant vel eliminant. Iccirco si nihil agendo febris ad fastigium provehatur suapte sponte, ac materia febrilis arctius & intimius cum cruore & spiritibus contexatur, nec non universa deturbetur minera, & in vasa magna profundatur, sane male agendo multo pejus proficitur. Quid in incremento machinati fuerint, jam nuper ostensum; impræsentiarum promulga suffragium, an edentulæ rusticæ aniles sint febris edomandæ sagaciores, an sint *fermentitii* medici. Nec in tantum sensibus sunt orbi ipsi ægri, quin à fermentatorum cordialibus succendentibus in morbi statu se in præmaturum finem coercitos persentiscant. Æstuantem naturam sortiuntur cordialia prædicta è sulphure impuro, quo non tantum ubertim scatet vini spiritus, compositorum istorum alexicacorum liquorum menstruum, quinetiam ipsa ingredientia, præcipue aromatica, excrementitium sulphur crudum ac impura salia hospitio excipiunt, unde fit, ut qui illa plena manu assumpserint, febricitantes ocyus itineris metam exitialis attingant. Ergo his quod intendatur fermentatio, cruoris massa in æstuationem sæviorem adigatur, ac universa materiæ febrilis sentina ex parte tantum sanguinem alluens, parte majore in latebris subsidente, impetu absorbeatur ac arripiatur à succis circulatione mobilibus,

& iis ſecundum minima adunetur, ſatis liquet; adeo ut cordialia præfata fermentationem ingeminantia, & nullo pacto vi diaphoretica & ſubtiliſſima facilem reddentia exhibere, ſit data opera corpus in ignem ſuccendere, & ægrum vita ſpoliare. Ne tamen prætermittatur diſquiſitio, qui effectus mirabiles à prædata *Aqua Epidemica* proficiſcantur, è ſimplicium contextus examine petenda. Frontem tenet *Radix tormentillæ*, cujus poteſtas in ſale fixo ponderoſo reſidet, qua de ratione ejus nulla particula in *Alembicum* elevabitur. *Glycyrriſa* in hac claſſe Alexiterii nomen audit, quod tamen huic à medicorum nemine unquam fuit conceſſum, nihilo ſecius quo cæterorum acrimoniam atterat fortean huc delegata eſt; Atqui quum & menſtrui vim attractivam retundat, quo minus ſimplicium ſalia alliciendo polleat, neque ipſius minima particula è cucurbita in capitellum aſſurgere queat, ſane optimo jure hinc rejicienda eſt. Ad hæc ecquis niſi mente captus, Artemiſiam, Agrimoniam, Betonicam, aliaque ejuſdem farinæ, in peſtilitatem commendaſſet, prout in coagmentato medicamine à ſuperiore ævo inſeruntur; hæc licet pauxillulum in ætheris venenum tela vibrent, quum tamen alia alexipharmaca his præconia, ſummo niſu in virus epidemicum irruendi, longe præripiant, præhabenda ſorent.

Spiritus

Spiritus cornu cervi quod ſpectat, in bivio hæreres, an pernicie, vel ingrato ſapore prævaleant. Poſterior hæc qualitas plane ab omnibus dignoſcitur, quibus eorum guſtandorum fuit facta copia; prior ampliſſime aſſeritur è moribundorum querimoniis, etenim gulam vix ante trajecerunt, quam ſtomacho viſceribuſque incendium furens attulerint, fermentationem in faſtigium provexerint ſummum, univerſam ſtructuram in ignem conflaverint, ac naturæ ſpiritus & robur proſtraverint. Mala hæcce omnia ab impuro venenoſo ſulphure in cornu cervi ſpiritibus latente, & erodente igneo volatili ſale, cum ſulphure dicto confuſo, ſunt decidua. Attamen quamvis præfati ſpiritus tam ſint virulenti & deleterii, haud penitus ſunt rejiciendi, quippe ſuffragantur experientia & authoritas, toxica maxime exitialia, nempe, Antimonium, Argentum Vivum, Arſenicum, &c. penetralibus recondere, quod vi alexicaca in arcenda venena & alias malignitates ſubtiles plurimum polleat. Quamobrem præparandi ritu peculiari ſpiritus cornu cervini ſi exuantur ſulphure viroſo, ac corroſiva ſalium vis extinguatur, ſolummodo purum cardiacum ſulphur ac ſal volatile ſubtiliſſimum erunt reſidua, quæ non tantum robur vitalibus ſpiritibus arcta unione & coaleſcentia conflant, ſed vi juncta miaſmata maligna pri-

mo extinguunt, dein exterminant. Non vero hi ſpiritus ut alii adurunt, ſed corpore conſtant puro, æthereo & penetrantiſſimo, qui non fermentationem intendendo, ſed facilem aptamque reddendo, ſunt celebres, à quo curationis cardo præcipue pendet.

Lapidis Contrajervæ in febres putridas malignaſque fama apud plurimos percrebuit, at quam proſperis avibus penes expertos ſtabit ſententia. Præter fæculas farinariumve craſſamentum radices *Contrajervæ* compoſitionis baſis, nec ſal volatile, nec ſal fixum quod ſit validum, nec ullas qualitates, olfactu vel guſtu deprehendendas poſſident, quinimo multiplici experimento aſſumitur, quamvis doſi duplicata ſebricitantibus fuerit exhibita radix, quod vix quicquam momenti præſtet. *Virginiana* autem radix inſigniter calefacit, ac humorum bitumen accendit; adeo ut boni non tantum virtute diaphoretica, quantum vi cauſtica moliatur infauſti. grana *cochenilia* colore viſum quidem, at vi cardiaca neutiquam ſpiritus vitales recreant. Sacerdotes in Evangelii verba, ſed ſanctiore religione quidam medici in ſtupendas Extracti Cardiaci ſuperius delineati poteſtates jurant. Verum unde emanarent tantæ virtutes, diſquirere fas erit. Sane, omnibus fere extractis particulæ agillimæ una cum menſtruo evaporando in auras tranſvolant,

volant, ſpiſſa fæce omnino fere exanimi in fundo ſubſidente Extractum pariente; Dic amabo, annon Extis hujuſmodi extracti miræ reconduntur potentiæ in febres arcendas malignas? Inſuper narcotica quum potiores in ipſo obtineant partes, ſpiritus vitales jam ſummam aciem inſtituentes, ac etiamnum nimis fatiſcentes, narcoticis non ſunt penitus proſtruendi, vel viribus exerendis compedes eis injicienci. Quocirca caute & religioſe talia exhibenda, præſertim languore confectis, ne quod pluribus contigiſſe omnium memoria proditum, in ſomnolentam abyſſum demoliantur. Alii pretioſis fragmentis, lapide Bezoardico, Margaritis, Corallis, ac teſtaceis naturæ proſtratæ ſubvenire enituntur, quaſi eam pretio è deplorato ſtatu redimere velint; at incaſſum, quippe præmiſſi lapides cum potiſſime è terra gravi, puriore tamen & diaphana conſtent, pondere in ſtomachi fundo ſubſident ingeſti, quem magnopere ea ratione aggravant, ac opprimunt, & infarctiones circumcirca pariunt. Quo nomine cor & ſpiritus vitales reficiant, malignitatemque oppugnent, hactenus nondum detegere licuit; ſplendore ac radiis ſpiritus opticos ac etiam ſympathetice alios animales ſpiritus recreant, neutquam vero obfirmant, ſed potius diſgregando viſum eos frangunt. Verum cum in pul-

verem ſint redacti, volatile nihil obtinent, ut neque ſal fixum, quod foret proficuum, à liquore in ventriculo fluctuante extrahendum, niſi prævia opera calcinentur. Quod liquor ventriculi acidus, qui fermenti nomine venundatur, tincturam ex eis alliciat, quæ omnem energiam facultatemque contineat integram, ſi inſtes, reſponſo habe; quod febricitandi tempeſtate ventriculus acido liquore ſit plane orbatus. 2. Tincturæ omnium fere lapidum non ſunt veræ tincturæ, ſed Mentrui alterationes, ac coctiones ab extrahenda materia perfectæ, quæ tamen ne tantillum communicat, quum peracta extractione ne granum pondere ab ejus, ſi trutinæ committatur, abſceſſerit. Porro lapidem quod attinet Bezoardicum, ſeptendecim granorum pondere vinitoris infanti vix duos annos nato exhibitum cognovi, abſque ulla ſubſequente operatione, vel alteratione. Adulti quidam lapidis Bezoardici drachma media aſſumpta, ne ullam, præter ponderis ſenſum, alterationem ſubivere; prætereo quod major prædictorum lapidum pars ſit fictitia & adulterina.

Sub capitis hujus calce paucula nonnulla de Epiſpaſticorum uſu reſtant dicenda. Prout uſitate applicantur ab hodiernis medicis, emolumenti ſummum eſt, quod pauci (febricitantes

citantes nimirum) *Veſicatoriorum* pœnas luentes, ſalutem priſtinam recuperarunt, plurimi autem eadem ſupplicii ſpecie multati interiere. De facto impræſentiarum diſquirendum, an vero potius pauci *veſicatoriis* debeant convaleſcentiæ gratias, quam plurimis juſto imputare liceat mortis ſequelam veſicatoriis: è conſequentia lis eſt dirimenda, pauci *veſicatoriis* uſi evaſere; plurimi *veſicatoriis* uſi periere; probabiliter concludere fas eſt, quod veſicatoriorum uſus ſit nocuus & lethiferus. At rei rationem perpendamus, ut plurimum parco illi numero à febre continua ſoſpiti, poſt peractam coctionem, licet præ virium proſtratione non fuerit reſcitum, *veſicatoria* ſunt adhibita, atque ob rationem coctionis & ſegregationis magnam ſeri ſalſi ac acris colluviem in bullas ampliores exantlarunt; At quibus abſque ulla prævia coctione vel ſegregatione fuere affixa præcitata *Exipopica*, madoris modicum non multum ſalſi nec acris in papulas humiliores attraxere, quod plerumque ſignum eſt funeſtum ac lethale; adeo ut hinc liqueat, quod ſanationis cauſa non veſicatoriis, ſed maligni ſeri ac heterogeniorum humorum ſubactioni ac coctioni ſit aſcribenda.

Secundo, In *Helticis* medicamentis Can-

tharides præcipuo funguntur munere, quarum proprietates recenſere è re futurum reor. Indolis ſunt calidiſſimæ ac incendentis, haud raro febres, ſummos cruciatus, ac dolores, humorum in vaſis deturbationem, ac irritationem acutiſſimam movent, quam dyſuria, ac cruenta emictio ſæpius conſequuntur, cerebro nervoſoque generi ſummę adverſantur, vireſque ſubito proſternunt, adeo ut veneni maligniſſimi, quamvis externe admotæ, ſignatura ſint indutæ.

Quocirca Epiſpaſtica emplaſtra Cantharidibus denſe intertextis, applicita ſi fuerint maligna febri ægro, viribus ſuccumbentibus, ſub ſtatus tempeſtate, annon febrim ingeminant, humores malignos in procellam laceſſunt, malignitatem malignitati accumulant, facultates principes penitus opprimunt, vires excutiunt, ac ægrotantem certiſſimè vita orbant. Objiciendi forſitan hic locus eſt, quod licet *Veſicantia* per ſe corpori febrienti ſummam inferant noxam, per accidens tamen malignum ſerum exhauriendo, ac dolore partes externas afficiendo, quo à partibus principibus, cerebro præſertim, fiat humorum halituumque nocentium revulſio, ampliſſime proſint. Huic replicandum, quod hoc caſu cruor frequentiſſimè humidi ſit egenus, (unde tanto vehementius

mentius flagrat febrilis ignis) adeo ut guttularum tantum pauciſſimarum ſit poſſibilis attractio, qua ingentium malorum adducitur agmen. Secundò, Corpuſcula maligna, quum potiſſimam in ſalibus fuligineis obtineant ſedem, foras allicere ne ullis valebis technis, quippe ſtatus tempore tam intime ac arctiſſime ſunt humoribus ferruminata, ut ea divellere ſit prorſus vetitum. Iſta ita ſe habere ex hoc argumento fit palam; Ichor Epiſpaſtico foras attractus declinationis ſive coctionis & ſecretionis tempore, magna copia ſub papulis protuberat, quibus diſciſſis exilit ſapore acris, igneus & ſalſus, quia onuſtus eſt ſalibus prædictis fuligineis maligniſque; at præmatura tempeſtate propulſus limpidam, inſipidam, inſulſamque ſpeciem præbet. Quod porro vulgatam ſuperat fidem mox ſum enarraturus; videlicet, Veſicatoria ſub declinatione partibus minus commodis admota, quod rapidiſſime ægros ex orbe ſublunari evulſerint. Poſtquam febri ardente & maligna quidam annos natus triginta duos detentus per dies quatuordecim decubuerit, non ſine perfectæ coctionis & ſecretionis notis, taliter ut decimo quinto pluries per cubiculum deambulaverit, omnibus fere convaleſcentiæ characteribus ſtipatus; Sub ſomni hora,

ra; ut malignitas latens foras protrudatur; duobus consulentibus Medicis fermentatoribus, admota fuere Emplastra Vesicantia larga Nuchæ, & carpis. Sequenti mane febris repullulavit satis ardens, loquela fuit abolita, deliriumque mentem cepit; At ut adæquatum perniciei pensum perficerent, decimo-sexto hominem è medio sustulerunt. Sane salia maligna è reliquo corpore ad cerebrum parteſq; nervosas attracta, Vires spirituſque ocyssime extinxere.

Hujusmodi plurimos casus tragicos, ni compendii institutum dissuaderet, in testimonia adducere possem, quamobrem præcitatum instar omnium habeas. Pro comperto quidem statuendum, malignæ febris sub limine, præsertim ubi (quod haud raro fit) ex aere ambiente assuxerit malignitatis seminarium, Epispasticis partibus remotis affixis, quam primum symptomata fuere subacta, febrisque fugata; at tunc intra tertium vel quartum diem sunt admota. Similiter lue pestifera correpto primo vel secundo die adhibita, summo fuere emolumento.

Hæc solummodo *prima Sectione* præmisisse negotia concedunt; secunda Sectione haud impigre subsecutura, ad febrium synochorum putridarum (prout vulgo vocantur) & ma-

malignarum, ut & variolarum, morbillorum, & rugeolæ descriptionem, per fundamentum, subjectum, causas & symptomata, tradendam nos accingemus, itemque quasdam observationes practicas, curandi methodum veram, ac remedia subjungemus. In tertia Sectione de febrium divisionibus, ac in specie de intermittentibus disseremus.

FINIS.

These Books are to be sold by William Thackeray *in* Duck Lane.

Little Venus unmasked, or A perfect Discovery of the French disease.

Morbus Anglicus, or, A Theoretick and Practical Discourse of Consumptions, and Hypochondriack Melancholy.

The Accomplisht Physitian, the Honest Apothecary, and the skilful Chirurgeon, Directing their necessary Connexion and dependance on each other. These three by the same Author.

Divine Poems, Written, and newly augmented by *Fra. Quarles*.

The Art of Courtship, By which young Ladies, Gentlemen, and Foreigners may be fitted with all Variety of Elegant Epistles Witty Dialogues, Eloquent Expressions, Complemental, Ceremonious, Amorous Answers, and lofty Language, suitable to every occasion.

The Wonderful and most deplorable History of the later Times of the Jews: With the Destruction

ſtruction of the City of *Jeruſalem*. By *Joſephus Ben Gorion*.

Divine Meditations upon ſeveral Subjects: Whereunto is annexed, Gods Love and Mans Unworthineſs: with ſeveral Divine Ejaculations. By *John Quarles*.

A Relation of the Fearful Eſtate of Francis Spira. Compiled by *Nat. Bacon* Eſq;.

Sips of Sweetneſs; or, Conſolation for weak Believers. By *John Durant*, Preacher of the Goſpel.